Disputationis de Lysia Epitaphii Auctore...
1839

DISPUTATIONIS
DE
LYSIA EPITAPHII AUCTORE
CAPUT ALTERUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

GUSTAVUS GEVERS

HANNOVERANUS

SEMINARII REG. PHILOL. ET SOCIETATT. PHILOLOGG. SODALIS.

GOTTINGAE

APUD VANDENHOECK ET RUPRECHT.

MDCCCXXXIX.

/

Trans. from
D. S.
June 7. 1881.

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

CH. GUIL. MITSCHERLICHIO

ET

CAROLO ODOFR. MUELLERO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

PIETAS DISCIPULI.

Quum ex veterum testimoniis constet, antiquitate jam multas orationes Lysiae nomine circumlatas exstitisse [1]), rhetoresque jam inquisiverint, quaenam orationes genuinae essent, quae subdititiae, recentioris aetatis VV. DD. epitaphium quoque sub examen vocarunt, nec defuerunt, qui hanc orationem a Lysia abjudicarent [2]). Quorum in numero C. Valckenarii et F. A. Wolfii nomina eminent. Sed quum illi omnes satis breviter et tanquam in transitu de hac re dixerint, nuperrime Hoelscherus in libro, quem conscripsit »de vita et scriptis Lysiae oratoris« p. 47 — 54, uberiore explicatione hanc quaestionem dignam habuit, rationibusque ab aliis allatis nova quaedam, quibus hanc orationem immerito Lysianis accenseri evinceret, argumenta adjecit. —

Quamvis Valckenariorum Wolfiorumque ut apud omnes, ita apud me plurimum valeat auctoritas, tamen quo saepius epitaphium relegebam, eo minus a me impetrare potui, quin contrariam sequerer sententiam, eorumque starem a partibus, qui hanc quo-

1) Dion. Halic. judic. de Lys. c. 12: *Πολλοὺς ἤδη τῶν ἀναφερομένων εἰς αὐτὸν λόγων — ὑποπτεύσας τε καὶ βασανίσας, εὗρον οὐκ ὄντας Λυσίου.* Cfr. c. 14 fin.

2) Virorum doctorum nomina et locos huc pertinentes v. apud Hoelscherum l. l. p. 50.

que orationem in Lysianis numerarent [3]). Quum autem mihi esset in votis, ut, quae essent Lysiae, ea ejus nomini vindicarentur, circumspiciebam argumenta, quibus, quae contra Lysiam auctorem allata essent, non solum refellerentur, sed etiam dubitantibus omnis scrupulus eximeretur. Quam probandi rationem non frustra quaesivisse mihi videor. Nam quum, qui Lysiae hanc orationem esse negant, in eo potissimum nitantur, quod aliud dicendi genus regnet in epitaphio, aliud in judicialibus orationibus, neque illa diversitas ex panegyrici et judicialis generis discrimine satis explicetur [4]), tum demum nihil dubitationis reliquum futurum esse puto de Lysia epitaphii auctore, quum et ex eloquentiae, quae ea potissimum aetate fuerit, condicione, et ex ipsius oratoris indole probatun fuerit, quod constet interfuisse inter judiciale et panegyricum genus, id apud Lysiam alia specie ne potuisse quidem comparere, ac qua revera comparet in epitaphio, cetera autem, quae non sint illorum orationum generum, utriusque esse communia [5]). — Hac igitur in quaestione pro mea qualicunque facultate jam elaboraturus, eum disputandi sequar ordinem, ut, praemissis quibusdam de epitaphiorum historia atque indole,

---

3) V. Hoelscher. l. l.

4) V. Hoelscher. l. l. p. 49. »concedo, sed legas etc.«

5) Modum excessisse videtur Lebaeus, quum in Actt. diurn. Scholastt. p. 647 dicit: »Die Aechtheit des Epitaphius von Lysias getrauen wir uns durch Vergleichung des Sprachgebrauchs mit dem in den gerichtlichen Reden, welche wir Wort für Wort durchführen wollen, bis ins Einzelnste der Verbindungen, Phrasen u. s. w. zu erweisen.«

Cap. I. de ratione agam, quae intercedat inter Lysiam eosque oratores, qui eum praegressi sint,

Cap. II. inquiram, in eam quaestionem, num epitaphius Lysiae indoli conveniat,

Cap. III. examinanda oratione funebri, illud disquirere pericliter, num per se spectata aut ob grammaticam singulorum locorum rationem aut ob rerum memoriam, quam criminantur turbatam, e Lysianis eximenda sit orationibus.

Cap. IV., quum sint VV. DD., qui Menexenum a Platone eo consilio conscriptum statuant, ut, de quo quaerimus, epitaphius perstringeretur, quaeram, quae ratio intercedat inter orationem illam funebrem et Menexenum Platonis.

Denique, quum aliorum VV. DD. sit sententia, Isocratem in panegyrico Lysiae multa surripuisse, aliorum, auctorem epitaphii panegyricum illum in usum suum vertisse

Cap. V. in hac quaestione explicanda operam collocabo.

Caput alterum.

Quamquam ex Cap. I. constare videtur, multa, quae epitaphii propria sint, ex eloquentiae ejus aetatis indole atque natura explicanda esse, jam meum est probare, Lysiam quoque, utpote Tisia eloquentiae praeceptore usum, hujus indolis haudquaquam expertem fuisse, neque Siculorum artem, etsi Atticorum oratorum studio temperatam, repudiasse; et simul reddenda erit ratio, qui factum sit, ut diversissimi et coloris et praestantiae eadem aetate orationes conscripserit. Neque vero dubito, quin recte rem ita instituam, ut rationem, qua artem suam tantopere excoluerit Lysias, accuratius perpendamus. — Historiam igitur, ut ita dicam, ingenii oratoris ex ipsis ejus monumentis enarraturus, duas oratoris aetates esse statuo, alteram quidem quae comprehendat illud tempus, quod est usque ad Ol. XCIV, 2, quo anno orationem in Eratosthenem habuit, alteram, in quam incidunt reliqui anni Lysiae [1]).

Sed priusquam ad ipsam prioris aetatis descriptionem accedam, quaenam ei cognoscendae inserviant orationes, indicandae videntur.

Atque primum quidem huc refero, orationem *Νικίου ἀπολογία* inscriptam, quae quamvis ipsa

1) Hujus divisionis rationes v. §. 3 init.

perdita et non cognita nisi ex Theophrasti verbis, quae apud Dion. Halic. 2) leguntur, tamen quum fragmentum ejus nobis servatum sit, haud levis illud momenti ad quaestionem nostram expediendam, haudquaquam negligenda est. — At non ita de hac oratione constat, ut Lysiae eam esse extra omnis dubitationis aleam positum sit, quandoquidem Dionysius a Lysia eam plane esse abjudicandam, multis se ostendere posse argumentis profitetur. Quae argumenta qualia fuerint, quum peculiaris ille de Lysia libellus, in quo, quaenam genuinae ejus essent orationes 3), se dijudicaturum promisit Dionysius, aetatem non tulerit, fortasse ne scriptus quidem sit, pro certo quidem affirmare non licet; nihilo secius tamen et externa fuisse, quum historia repugnaret 4), et interna, quum oratio a Lysiae ingenio dicendique genere abhorreret 4), jure tuo ex ipsis verbis colligas 5). Utrumque ut paucis attingam, historica illa argumentatione, quum in eo potissimum niti videatur, quod Lysias, quo tempore Nicias, Atheniensium dux, a Syracusanis captus esset, Thuriis versatus sit 6), non habitam esse hanc orationem a Nicia, neque in ejus usum conscriptam, haud dubie evincitur: sed quin statuamus,

2) Dion. Halic. judic. de Lysia c. 14. — Hoelscher l. l. fragm. 104.

3) c. l.: Ἰδίαν δὲ περὶ τοῦ ῥήτορος πραγματείαν συντattόμενος ἐν ῃ — δηλωθήσεταί μοι, καὶ τίνες εἰσὶν αὐτοῦ λόγοι γνήσιοι.

4) Ὅτι δὲ οὐκ ἔγραψε Λυσίας τὸν ὑπὲρ Νικίου λόγον, οὐδ' ἔστιν οὔτε τῆς ψυχῆς οὔτε τῆς λέξεως ἐκείνης τὸ γράμμα, πολλοῖς πάνυ τεκμηρίοις ἀποδεῖξαι δυνάμενος. κ. τ. λ.

5) Cfr. Hoelscher. l. l. p. 193.

6) Hoc colligo ex Dionysii verbis l. l.: »Καὶ τὸν ὑπὲρ Νικίου — λόγον, ὃν εἶπεν ἐπὶ Συρακουσίων αἰχμάλωτος ὤν.«

exercitandi causa Lysiam in hoc argumento elaborasse[7], nihil videtur obstare[8]. — Neque vero certius de internis Dionysii argumentis judicaveris, quandoquidem praeter fragmentum illud nihil ex hac oratione superest; sed quum jure tuo existimaveris, nimio, quo insignis est, indulsisse Dionysium Lysiae amori, eumque posterioris potissimum aetatis orationibus usum esse in describenda oratoris indole, non est, quod Theophrasti auctoritatem, alias summam, in hac re Dionysio posthabeamus.

Deinde hujus aetatis esse judico orationem amatoriam, quae est in Platonis Phaedro, eaque largam disceptandi viris doctis praebuit materiam. Ad meum autem consilium quum non multum referat eroticus qui dicitur, utrum ipsius sit Lysiae[9] an a Platone, Lysiam quam accuratissime imitato, profectus, non in animo est, quibus nitantur duae illae sententiae, argumenta[10] perpendere, sed satius

---

7) Hoelscheri verbis p. 193: »Mirandum Lysiam argumentum exercitationis — ex clade — sumsisse, quae exilii sui causa facta est«, non multum tribuo.

8) Cfr. Spengel. τεχν. συναγ. p. 139. et n. 75. — Meier: ind. schol. Hall. per aest. MDCCCXXXVII hab. p. XIV.

9) Quam Taylor (vit. Lys. p. 154. cfr. 151 sqq. ed. Reiske) proposuit sententiam, non oratorem sed sophistam ejusdem nominis, cujus mentio fiat in Demosthenis (?) oratione in Neaeram, erotici auctorem esse, eam missam facio, quum praeter alios VV. DD., Spengel τεχν. συναγ. p. 132 sqq. ex ipsis temporum rationibus, ne apud Demosthenem quidem alium atque oratorem intelligendum esse, acutissime ostendat.

10) Lysiam auctorem erotici habet: Haenisch: Lysiae amatorius. 1827. cui adstipulantur: Westermann: Quaest. Demosth. II. p. 73 sq. et Hoelscher l. l. p. 131 sqq. Cfr. Spengel l. l. p. 132. *alii tam perversae erant mentis, ut totam orationem a Platone fictam opinarentur.* — Con-

videtur remisisse ad virum doctum Heidelbergensem, quem argumentis maxime idoneis Platoni hanc orationem vindicasse censeo [11]; cui tamen hoc unum addiderim, ne genus quidem dicendi, quod firmissimis argumentis Haenischius Lysianum esse evicit, Lysiam erotici auctorem esse arguere. Etenim quum Plato id consilium secutus videatur, ut prima oratione Lysiae cum omnibus et virtutibus et vitiis redderet indolem [12], alterâ, de ipso argumento plane securus, quomodo oratio disponenda fuisset ostenderet, tertia denique, quales et sententiae et dispositio et elocutio ejusmodi orationis comparatae esse deberent, non potuit, quin accuratissime Lysiae elocutionem imitaretur. Quod Platoni in reddendis dicendi generibus summo artifici, cujus testes exstant Agathonis oratio in Symposio proposita et sermones

---

trariam sententiam defendit censor Haenischii in Annall. litt. Heidelberg. 1828. N. 17. p. 254 sqq.

11) Annall. Heidelb. l. l.

12) Cfr. Ast in ed. Phaedri. p. 236. »Platonem hanc orationem ex mente ac sermone Lysiae, quoad ejus fieri potest, ipsum composuisse, et quum Lysiam ejusque amatorem Phaedrum ludere voluerit, data opera Lysianae eloquentiae vitia quodammodo cumulasse et nonnunquam exaggerasse.« — Mediam quandam sententiam inter illam, eamque, quam Haenisch. sequitur, amplexus est Fr. Schlegel: Mus. Attic. I. p. 230, quum genuinam aliquam Lysiae orationem a Platone in deterius detortam statuit; cui adstipulatur Lebaeus: Actt. diurn. Scholl. 1833. p. 632; qua quidem sententia Plato summae malignitatis obtrectationisque insimularetur. — Similiter, sed ei quod pro vero habeo propius, sentit Rueckert ad Platon. Sympos. p. 252: » — illa in Phaedro oratio, quae Lysiae quum nomen ferat, etsi forte non ipsius verbis reddita, certe ad ipsius normam haud dubie composita est.«

quibus Prodicum Ceum in Protagora utentem facit, optime processisse, non est, quod miremur. Eodem igitur jure vel majori etiam, quo Agathonis oratione ad Gorgiae dicendi genus cognoscendum utimur [13]), eroticum ad perspiciendam, qua initio usus sit Lysias, elocutionem proferimus. — At quum non universe de Lysiae dicendi genere, sed de prioris aetatis indole quaeratur, ad quaestionem relabimur, qua aetate Phaedrus a Platone conscriptus sit. Quodsi vera esset, quam a Sochero adoptavit Stallbaumius [14]), sententia, paulo post reditum ex itinere Ol. XCVIII, 1 hunc dialogum composuisse Platonem, consilium nostrum plane relinquendum videretur. Sed quum in eo potissimum nitatur V. D., quod Phaedrus dialogus arctissime cohaereat cum argumento convivii Ol. XCVIII, 3 et 4 editi [15]), eoque fiat verosimile, utrumque librum eodem fere tempore in lucem prodiisse, non ita multum huic rationi tribuerim. Nam ut in universum horum dialogorum argumenta necessitudinis quodam vinculo cohaereant, tamen quas ipsas in palinodia illa Socratem explicantem facit Plato sententias, tam diversae ab oratione, quam Diotima in Symposio perorasse fingitur, sunt indolis, ut majus temporis spatium inter hos dialogos conscribendos intercessisse haudquaquam absonum videatur statuere. Nec vero gravius habeo licet speciosius excogitatum [16]),

---

13) Cfr. Spengel l. l. p. 77.

14) Praefat. ed. Phaedr. p. XXI. — Socher: Ueber Platons Leben u. Schriften. München. 1820. p. 301 sqq.

15) ad Platon. Symp. p. 193. a.

16) Cfr. Spengel l. l. p. 135. n. 73. »Hoc argumento uti possint, qui Phaedrum non a Platone juvene emissum censeant.«

illud, quod ex Alexidis fabulae, Φαῖδρος inscriptae fragmento [17]) petiere VV. DD. argumentum. Nam quum Alexidis fuerit consilium, Platonis de amore sententiam traducere [18]), ne potuit quidem, quin utrumque hujus argumenti dialogum respiceret. Equidem certe non dubito eorum doctorum hominum adoptare sententiam [19]), qua Plato juvenis non multo post Ol. XCII, 2, quo anno Lysias Siculorum arte institutus Thuriis redux fuerat, hunc dialogum conscripserit; quae mea quidem sententia eo etiam firmatur, quod praeter universum orationis colorem, aliquot loci hoc tempus aperte videntur indicare, ut p. 257, b: *Λυσίαν — παῦε τῶν τοιούτων λόγων, ἐπὶ φιλοσοφίαν δὲ, ὥςπερ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Πολέμαρχος τέτραπται, τρέψον*, quum Polemarchum, cujus h. l. superstitis fit mentio, a trigintaviris interfectum esse, constet. — Idem docet p. 278, e: *Νέος ἔτι, ὦ Φαῖδρε, Ἰσοκράτης κ. τ. λ.*, quum certum sit, Isocratem Ol. XCIV, 1 Chium insulam migrasse. Cfr. 279, b. *ὡς ἐμοῖς παιδικοῖς Ἰσοκράτει ἐξαγγελῶ.* — Ne ipsum quidem Stallbaumium latuit, quos primos adduxi locos, eos ad tempus spectare, quod trigintaviros antecedat [20]); sed nil inde collegit, nisi Phaedrum ante trigintavirorum dominationem fingi peroratum. — Quae quidem sententia licet in quaestionem nostram jam sufficiat, vix tamen concesserim, aliam Lysiae aetatem, quam qua tum potissimum floruerit, Platonem perstringere; quo denique accedit, quod post illud temporis spatium longe

---

17) Athen. XIII. p. 562. a — c.

18) Spengel p. 135. — Stallb. praef. in Phaedr. p. XXI.

19) Spengel p. 114. — Boeckh. catalog. lectt. hibern. 1838 — 39. p. 8.

20) ad p. 278. d.

alíud tulisset de Isocrate judicium ac revera latum videmus p. 279. a. [21]).

Quam tertiam denique hujus aetatis orationem habeo, in ea, qua utimur recensione, octavum locum obtinet: πρὸς τοὺς συνουσιαστὰς κακολογιῶν inscripta illa. Neque hujus quidem origo non in dubium vocatur, sed quum ipse Hoelscherus, qui, quod sciam, primus eam Lysiae esse negavit, levissima se uti argumentatione [22]) confiteatur, non est, quod ab hujus orationis usu abstineamus. Atque satis explicantur, quae dictionis sunt singularia, partim pessima librorum conditione [23]), partim praeclara Spengelii conjectura [24]), exercitationem esse ante anarchiam confectam.

Ceterum quam H. huic orationi objicit contortam et confusam verborum structuram, eam non mihi videor repperisse; quos quidem ad hoc probandum affert locos, eorum alter (§. 5: πάντα ποιοῦντες κ. τ. λ.) expeditur, modo cogitemus, quam libere antiquiores scriptores, ut Thucydides, et imprimis Lysias [25]), in subjecto mutando versati sint, alter (§. 8: τοὺς τελευταίους) plane huc non pertinet, quum jam Marklandus, qui haec verba pro corruptissimis habet, deinde Reiskius et nuperrime Emperius [26]), in hoc vocabulo emendando elaboraverint, et, quae proxi-

21) Bene hoc exposuisse videtur Spengel. p. 131.

22) l. l. p. 73.

23) »Oratio, qua lutum non est lutulentius« Taylor p. 295. Reiske. V. — Emperius: observatt. in Lysiam. Brunsv. 1833. p. 16.

24) pag. 125.

25) Haenisch ad Lys. amat. p. 233. d. (p. 64.) et quae Cap. III. disputabo de epit. §. 32.

26) p. 18.

me insequuntur ita sint conclamata, ut et Reiskius et Emperius de invenienda vera lectione plane desperaverint.

His praemissis jam ad ipsum, quod mihi proposui, accedo. Versabor autem ita in explicanda prioris Lysiae aetatis indole, ut erotico, quippe qui integer superstes, quae Lysiae propriae sint, de industria coacervata contineat, velut fundamento utar, ceteraque subjiciam.

§. 2.

Quum praeter memoriam et pronuntiationem, a re nostra alienas, inventio, dispositio, elocutio artem oratoriam efficiant, neque ab ulla harum partium, qua suspectum redderent epitaphium, VV. DD. abstinuerint, de singulis deinceps mihi quaerendum est.

Inventionis autem duplex est officium; nam et ad universam orationis materiam spectat, et ad singulas, quae primario illi argumento et ornando et probando inserviant, sententias. Atque illud quidem superius in vehementissimam Platonis incurrit vituperationem. V. p. 243. b., ubi, exorsurus palinodiam, deprecatur, se tale quid dixisse, quod ipsum pudore suffusus velato capite dixerit. Neque solum impudicitiae nomine (p. 243, c. *ἐννοεῖς ὡς ἀναιδῶς εἰρήσθον τῷ λόγῳ*) hoc argumentum vitiosum habet Plato, sed etiam ab ipsa rei natura tantopere abhorrere putat 1), ut, ipsum Lysiam quam proposuerit sententiam pro vera habere, quam maxime dubitet. p. 235, a. *τοῦτο δὲ οὐδὲ αὐτὸν ᾤμην Λυσίαν οἴεσθαι ἱκανὸν εἶναι.* Cf. p. 234, e. *καὶ ταύ-*

---

1) p. 243, c. *εἰ γὰρ ἀκούων τις τύχοι γεννάδας — πῶς οὐκ ἂν οἴει αὐτὸν ἡγεῖσθαι — οὐδένα ἐλεύθερον ἔρωτα ἑωρακότων.*

τῇ δεῖ — τὸν λόγον ἐπαινεθῆναι, ὡς τὰ δέοντα εἰρηκότος τοῦ ποιητοῦ —; Inquirenti jam, cur hoc potissimum argumentum eligentem Plato fecerit Lysiam, nulla alia mihi subfuisse videtur causa, nisi ut luculento demonstraret exemplo, oratorem eloquentia abuti persuasionis ministra (πειθοῦς δημιουργός [2]) nec quicquam ejus interesse, utrum vera diceret an minus, modo sophisticis suis rationibus, veri quandam speciem referentibus, sententiam lectoribus persuaderet. — Quae quamquam invidiose in Lysiam e sophistica Siculorum disciplina prodeuntem disputata videantur a Platone, id tamen evincunt, oratorem argumenta intricata et paradoxa prae ceteris adamasse; id quod certo firmatur testimonio Dionysii hanc ipsam maximam praedicantis virtutem jud. de Lys. c. 15. δηλοῦσι δὲ μάλιστα τὴν δεινότητα τῆς εὑρέσεως — οἱ περὶ τὰς παραδόξους συνταχθέντες ὑποθέσεις (sc. λόγοι).

Nec majorem Platonis assensionem tulit ratio, qua orationem Lysias vestiverit et ornaverit, quin hanc artem ab eo plane abjudicat; nam quaecunque attulerit orator argumenta ita esse levia, ut quivis, qui in eadem materia elaboraturus esset, non possit non eadem afferre p. 235, e. 236, a. Quae quidem judicii acerbitas dicto illo Socratis, antiquos et viros et mulieres, quippe sapientes plura jam et aliquanto ea meliora attulisse, valde augetur v. p. 235, b. — Ipsum jam inspicientes eroticum, nos fugere non potest, rationes allatas forma potius quam ipsarum naturâ acuti ingenii prae se ferre speciem, neque minus, quibus Socrates utatur in ejusdem argumenti oratione, eas, quum longe aliter mente

2) Alios ejusmodi Platonis locos v. apud Spengel. l. l. p. 35. n. 56.

conceptae sint, multo altius petitas apparere. Argumenti instar sit p. 233, a. cfr. d. e. p. 239, a. et b., quo utroque loco de damno quod infligant amasii puerorum animis agitur. — Plane contrarium Dionysius tulit judicium, qui in inveniendis potissimum rebus apparere statuit Lysiae virtutem. jud. de Lys. c. 15: — ἐν οἷς πλεῖστα καὶ κάλλιστα ἐνθυμήματα λέγει, καὶ τὰ πάνυ δοκοῦντα τοῖς ἄλλοις ἄπορα εἶναι καὶ ἀδύνατα, εὔπορα καὶ δυνατὰ φαίνεσθαι ποιεῖ. Neutri judicii auctori fidem suam velim plane derogari; sed ut in universum Dionysius posterioris maxime aetatis judicialis generis respexisse videtur orationes (cfr. quae supra disputavi de oratione pro Nicia), ita haec quoque eo retulerim.

Alterum, in quo ars oratoria cerneretur, dispositionem posui. Neque ejus disertum Platonis judicium desideramus. —' Disponendi quidquam artis, quâ orationis, ut animati corporis ea efficiatur unitas, ut nullum membrum sine magna totius fraude loco suo moveri possit (p. 264, c.), prorsus negat comparere apud Lysiam, quippe qui, praesenti indulgens arbitrio, ita disponat argumenta, ut cur hoc potissimum antecedat, illud sequatur, idonea afferri nequeat ratio. p. 264, b. οὐ χύδην δοκεῖ βεβλῆσθαι τὰ τοῦ λόγου; ἢ φαίνεται τὸ δεύτερον εἰρημένον ἔκ τινος ἀνάγκης δεύτερον δεῖν τεθῆναι, ἤ τι ἄλλο τῶν ῥηθέντων; — Hujus quoque vitii luculentum exemplum proposuit eroticum, cujus, quot rationes continet, tot partes sunt, interiore illae non junctae vinculo, sed quod jam particulae, quibus in partium transitu orator utitur: ἔτι δέ, καὶ μήν, καὶ μὲν δή, εἰ τοίνυν κ. τ. λ., indicant, nulla necessitate se excipientes.' — Quemadmodum recte hae sententiae fuissent dispositae, secunda illa oratione, cujus hoc potissimum est consilium, Plato

docet. — Praemissâ, quam in Lysiae oratione neglectam videmus, amoris definitione, quem furorem (*μανίαν*) quendam esse interpretatur, effecit, ut necessario sibi edocendum esset, quae mala puero ex hoc furore nascerentur, unde, non amanti potius obsequendum esse, sponte intelligitur. Effectâ igitur, quâ opus est, orationis unitate, singula furoris illius pericula et ipsa optime disposuit, primum animi et deinceps corporis, rei familiaris, vitae jucunditatis damna perlustrans. — Ut in erotico, sic fortuita illa dispositio etiam in oratione VIII cognoscitur, ubi, cur verbi causa lis de equo conducto orta (§. 10 sqq.) criminationem, actorem alios ad calumniandum incitasse, antecedat, quum prius illud majoris videatur momenti, aegre assequaris. Neque Dionysius, quamvis Lysiae amantissimus huic judicio adversatur, sed Lysiam, nulla prorsus arte adhibita argumenta annectere, et ipse statuit ideoque alio disponendi artis exemplo uti oratori futuro commendat. — Jud. de Lys. c. 15. fin.: — *παρακελεύομαι — τὴν δὲ τάξιν, ἐνδεεστέραν οὖσαν τοῦ προςήκοντος μὴ ἀπὸ τοῦδε τοῦ ἀνδρὸς — λαμβάνειν.* Quo quidem Photius (cod. 262) auctore utitur, is ab hac quoque parte Lysiam defendit, sed nimio ille, ut apparet Lysiae studio deceptus. *Καικίλιος δὲ ἁμαρτάνει, εὑρετικὸν μὲν τὸν ἄνδρα — συνομολογῶν, οἰκονομῆσαι δὲ τὰ εὑρηθέντα οὐχ οὕτως ἱκανόν· καὶ γὰρ καὶ τούτῳ τῷ μέρει τῆς ἀρετῆς τοῦ λόγου οὐδενὸς ὁρᾶται φαυλότερος.*

Sed aliud quoque est, quod erotici cum octava illa oratione intercedere quandam similitudinem, arguit, idque, priusquam ab hoc loco, qui ad dispositionem spectat, discedam, paucis respiciendum videtur. Utrique enim, de qua quaerimus, orationi conscribendae res domesticae ansam praebuere, et

certae rationes quae inter homines quosdam finguntur intercessisse. Quae rationes quales fuerint, tantum abest, ut a nobis facile expediantur, ut vel illius aetatis lectores, utpote in ficta declamatione, latuerint. Neque vero, quae hujus vitiosae orationum indolis causa fuerit, quisquam perspiciet, nisi qui statuerit Lysiam priore illa aetate, obscuritatem quandam affectasse, sive commotum illum excitandi lectorum animos studio, sive subtilitatis aucupantem speciem atque sapientiae. Neque esse puto, qui casu factum esse censeant, ut eidem eroticus obnoxius esset vituperio; certe quicunque eximiam Platonis artem, qua, quaecunque scripsit, de justa causa hoc illove potissimum modo comparata essent, probe perspexit, quin id quoque, de quo disceptamus, de industria a Platone institutum sit, non dubitabit. Quo denique si accedit ipsius Platonis hujus Lysiae obscuritatis vituperatio, non quidem verbis illa expressa, nihilominus tamen, quum narratione praemissa (p. 237, b.: ἦν οὕτω δὴ παῖς κ. τ. λ.) quo, quae sequerentur referenda essent, ostenderit, aperte indicata, omnis tolli videtur dubitatio, quin quod utriusque orationis vidimus proprium, jure meo repetiverim ex more Lysiae atque consuetudine. Sed alia quoque est quaestio, illam dico, quae ad erotici formam spectat, cui haec ipsa, quae Socratis orationi praemissa est, oratio dirimendae inserviebat atque dijudicandae. Nam quum in utraque et Lysiae et Socratis oratione, quo cetera discrimina magis apparerent, eandem in universum Platonem servasse formam statuendum videatur, etiam quae Lysiae perhibeatur, orationem apparet a l l o c u t i o n e m potius esse, quam quae Spengelii est sententia [3]), epistolam; id quod de

3) τεχν. συναγ. p. 125, cui adstipulatur Hoelscher p. 123.

Socratis oratione, quum propter universam illam narrationem, tum propter ea, quae proxime antecedunt verba: ἔλεγέ τε ὧδε, ne licet quidem dubitari. Neque alius indolis est octava illa oratio, quam, quum non in judicio, sed, ut certe fingitur, coram eo, quocum res agebatur et quibusdam amicis habita sit allocutionis potius, quam justae orationis [4]) formam referre videmus, unde Lysiam ea aetate in ejusmodi magis ludicris elaborasse, quam in judiciali operam collocasse genere, jure nostro colligimus [5]); id quod testimonio illo, orationes amatorias, epistolas et similia [6]), quas maximam quidem partem hujus prioris aetatis habeo, a Lysia compositas esse, firmari videtur. — Ceterum eroticum qui dicitur ab iis, qui non ad Platonem ejus originem referunt, sed genuinis Lysiae monumentis eum accensent, in epistolis haberi, non est quod miremur; quum formam ad epistolarum indolem proxime accedere, largiendum videatur Spengelio. Neque vero hac ipsa de causa scholiastarum etc. testimoniis [7]) quidquam tribuerim.

Restat jam, ut quam tertiam oratoriae artis partem quaestionis nostrae esse statui respiciamus,

---

Vel sic tamen huc non pertinere, quae Haenisch. l. l. p. 30 de prooemiis Lysiae disputaverit, ostendit Westermann. Quaest. Dem. II. p. 54. n. 33.

4) Simile jam Reiskius tulit judicium p. 286. »*Constat non orationem forensem hanc esse, sed epistolam seu formulam renuntiandae amicitiae*«, unde Spengelii sententia, exercitationis causa conscriptam esse, firmatur.

5) Cfr. Hoelscher. p. 123.

6) Dionys. l. l. c. 1.

7) Cfr. Photius p. 498. — De una tamen epistola amatoria constat, summa aetate a Lysia conscriptam esse. Spengel. p. 124. n. 63.

elocutionem in eligendis verbis maxime et struendis verborum comprehensionibus illam conspicuam. Verba autem in erotico optime esse electa et suam quodque plene servare significationem, non est, quod exemplis doceam, quum quemque accurate hanc orationem interpretatum ne possit quidem fugere. Quodsi Plato, in ceteris Lysiae adversarius, non solum hac virtute ornavit eroticum, sed etiam ab hac una parte summis eum affert laudibus [8]), oratorem nostrum, utpote Atticorum quoque sophistarum, quorum in virtutibus, ut graeco verbo utar, *ὀρθοέπεια* primum locum obtinet, arte edoctum, hac priore jam aetate mira quadam distincte dicendi arte insignem fuisse, recte nobis videmur statuere. — Qua quidem de causa Hoelschero, qui quum in oratione VIII. vocabula quaedam aliena significatione, non nativa usurpata deprehendisse sibi videatur, haec in rationibus recenset (p. 72.), propter quas haec ipsa oratio e Lysianis exturbanda sit, plane adstipularer, modo de ipso perverso vocabulorum, quae enotat, usu mihi persuasum esset. »§. 1. *ἐγκαλῶ* **pro** *ἐπεγκαλῶ*, **nescio num alias Lysias dixerit, ut qui simplicia verba eligat.**« Recte quidem monuit V. D., quod idem jam a Reiskio animadversum videmus, Lysiam simplicium verborum amantem esse. Quod tamen ita tantum velim intelligi, ut, quum utrumque per sententiam liceat, alterum praeferatur a Lysia. Postulante autem sensu ne a verbis quidem vel cum duabus praepositionibus compositis orator abstinuit [9]).

8) p. 234. e. — *ὅτι σαφῆ καὶ στρόγγυλα καὶ ἀκριβῶς ἕκαστα τῶν ὀνομάτων ἀποτετόρνευται;* cf. Dion. 4.

9) Cf. in Theomn. I. §. 18. *ἐπανάγνωθι.* — in Alcib. I. §. 7. *ἐπεξῆλθε μετ᾽ ὑμῶν.*

Quae igitur Hoelscheri est sententia, ἐπεγκαλεῖν h. l. pro ἐγκαλεῖν accipiendum esse, eam tantum abest ut adoptem, ut ἐγκαλεῖν, quod accusativo carere non potest[10]), si scriptum esset, prorsus removendum censerem. Quo autem nomine ἐπεγκαλεῖν sollicitaremus, cujus et significatio et structura verbi ἐπεξέρχεσθαί τινι sunt simillimae, plane non assequor. Cfr Reiske index graec. Lys. Oratt. gr. VI. p. 804. »ἐπεγκαλεῖν queri de vel cum aliquo; expostulare.«—

Deinde valde offendit V. D. in ἐναντίον τῆς ἐλπίδος pro παρ' ἔλπιδα; sed neque in ipso illo jure suo; nam quum haec vocis ἐναντίος satis usitata sit significatio, *contrarius* — *is, qui alicujus adversarius est* — eaque h. l. de industria illata videatur quandoquidem τὸ κακῶς πάσχειν revera e contrario ejus, quod actor exspectaverat, (τὸ εὖ πάσχειν) accidit, nulla profecto est causa, cur a Lysia, licet alibi ἐναντίος τινος dicat: »coram aliquo«, hanc loquendi formulam alienam ducamus. Neque alia desunt exempla ejusdem vocis aliis locis proprie, aliis translate dictae, e quibus affero ἐπεξέρχεσθαι, quod non solum de proficiscente exercitu (in Alcib. I, 7 b.), sed etiam de accusatore postulante (in Theomn. I. §. 2. cfr. in Pancleon. §. 14. Maetzner ad Antiphont. p. 128.) apud Lysiam legitur. Vereor igitur, ne uterque locus, quem Hoelscherus in partes suas vocavit, plane contrariam probet sententiam, et in iis recensendus sit exemplis, quibus, Lysiam priore jam aetate cum summa cura atque diligentia in eligendis et vocabulis et loquendi formulis versatum esse, luculentissime ostenditur.

Sed jam eo procedimus, ut inquiramus in pe-

10) in Simon. §. 19. οὐδέν μοι — ἐνεκάλεσεν οὐδείς.

riodorum structuram, quae, quum per totum eroticum personatus Lysias eam servet legem, ut singulis malis ab amasio profectis singula, quae ex obsequio non amanti facto nascantur puero, commoda opponat, tantum non semper *ἀντικειμένη* est, duabus illa effecta partibus, particulis *μὲν — δὲ* nexis, quae si non orationis structurâ, certe magnitudine, aequatae sunt [11]). Qua de causa vellem editores hoc opponendi aequandique studium non neglexissent neque, quae jungenda erant, diremissent. V. statim ab initio p. 231, a. *ὡς ἐκείνοις μὲν τότε μεταμέλει ὧν ἂν ποιήσωσιν,* | *ἐπειδὰν τῆς ἐπιθυμίας παύσωνται·* || *τοῖς δὲ οὐκ ἔστι χρόνος, ἐν ᾧ μεταγνῶναι προςήκει* |, ubi tum demum necessarium partium assequimur aequilibrium, quum *οὐ γὰρ ὑπ᾽ ἀναγκῆς, ἀλλ᾽ ἑκόντες, ὡς ἂν ἄριστα περὶ τῶν οἰκείων βουλεύσαιντο, πρὸς τὴν δύναμιν τὴν αὑτῶν εὖ ποιοῦσιν* ejusdem periodi habentur. — Cf. p. 233, e. *Καὶ μὲν δὴ τῶν μὲν ἐρώντων πολλοὶ πρότερον τοῦ σώματος ἐπεθύμησαν ἢ τὸν τρόπον ἔγνωσαν καὶ τῶν ἄλλων οἰκείων ἔμπειροι ἐγένοντο, ὥςτε ἄδηλον αὐτοῖς, εἰ ἔτι τότε βουλήσονται φίλοι εἶναι, ἐπειδὰν τῆς ἐπιθυμίας παύσονται* || *τοῖς δὲ μὴ ἐρῶσιν οἳ καὶ πρότερον ἀλλήλοις φίλοι ὄντες ταῦτα ἔπραξαν, οὐκ ἐξ ὧν ἂν εὖ παθῶσι ταῦτα εἰκὸς ἐλάττω τὴν φιλίαν αὐτοῖς ποιῆσαι, ἀλλὰ ταῦτα μνημεῖα*

11) Forma, quae jam Antiphonti admodum familiaris est. De caed. Herod. §. 38. *Καὶ εἰ μὲν ἐγὼ τὸν ἄνδρα ἠφάνισα ἢ μὴ ἤθελον ἐκδοῦναι τούτοις ἢ ἄλλον τινὰ ἔφευγον ἔλεγχον,* | *αὐτοὶ δὴ τούτοις ἰσχυροτάτοις εἰς τὰ πράγματα ἐχρῶντο καὶ ἦν ταῦτα αὐτοῖς μέγιστα τεκμήρια κατ᾽ ἐμοῦ* || *νῦν δὲ ὅποτε αὐτοὶ οὗτοι προλαλουμένων τῶν φίλων τῶν ἐμῶν ταῦτ᾽ ἔφυγον* | *ἐμοὶ δήπου κατὰ τούτων εἶναι χρὴ ταῦτα τεκμήρια ὡς οὐκ ἀληθῆ τὴν αἰτίαν ἐπέφερον ἣν ᾤοντο* —. Cfr. ejusdem paragraphi initium. §. 84. — de saltatore §. 2. 9. 30. 27. 28., quas exscribere taedet.


καταλειφθῆναι τῶν μελλόντων ἔσεσθαι; ubi etiam ex editorum interpunctione summa partium aequalitas servata est. — Utrumque, quod, modo adscripsimus exemplum, pariter atque Antiphontis loci, jam docent, his partibus revera unam effici periodum; quam ob rem non assequor, quo iure p. 231. a. plena interpunctione post *τοῖς ἐρωμένοις* posita orationis ambitum dissecuerint. *Ἔτι δὲ οἱ μὲν ἐρῶντες σκοποῦσιν, ἅ τε κακῶς διέθεντο τῶν αὐτῶν διὰ τὸν ἔρωτα καὶ ἃ πεποιήκασιν εὖ | καὶ ὃν εἶχον πόνον προςτιθέντες ἡγοῦνται πάλαι τὴν ἀξίαν ἀποδεδωκέναι χάριν τοῖς ἐρωμένοις· || τοῖς δὲ μὴ ἐρῶσιν οὔτε τὴν τῶν οἰκείων ἀμέλειαν διὰ τοῦτο ἔστι προφασίζεσθαι, | οὔτε τοὺς παρεληλυθότας πόνους ὑπολογίζεσθαι | οὔτε τὰς πρὸς τοὺς προςήκοντας διαφορὰς αἰτιάσασθαι· | ὥςτε* etc. Similem subjicere liceat periodum p. 233, a et b., cujus et ipsius aequilibrium gravissime ante *ὥςτε* et *ἐὰν δ' μοὶ* interpungendo turbatur. *Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ*[12]) *καὶ παρὰ τὸ βέλτιστον τά τε λεγόμενα | καὶ τὰ πραττόμενα ἐπαινοῦσι, | τὰ μὲν δεδιότες, μὴ ἀπέχθωνται, | τὰ δὲ καὶ αὐτοὶ χεῖρον διὰ τὴν ἐπιθυμίαν γινώσκοντες, — | τοιαῦτα γὰρ ὁ ἔρως ἐπιδείκνυται· δυςτυχοῦντας μὲν ἃ μὴ λύπην τοῖς ἄλλοις παρέχει ἀνιαρὰ ποιεῖ νομίζειν· | εὐτυχοῦντας δὲ καὶ τὰ μὴ ἡδονῆς ἄξια παρ' ἐκείνων ἐπαίνου ἀναγκάζει τυγχάνειν· | ὥςτε πολὺ μᾶλλον ἐλεεῖν τοῖς ἐρωμένοις ἢ ζηλοῦν αὐτοὺς προςήκει·*[13]) || *ἐὰν δὲ μοὶ πείθῃ, πρῶτον μὲν οὐ τὴν παρου-*

12) *ἐκεῖνοι μὲν γὰρ —, ἐὰν δὲ μοί* unam efficere sententiam non solum oppositionis ratio et plenum partium aequilibrium docet, sed etiam *γάρ*, quum omnia usque ad *ἀποτρέπειν* antecedenti sententiae *καὶ μὲν δὴ — ἐραστῇ* explicandi inserviant, hanc unam esse periodum sibi postulat.

13) *τοιαῦτα γὰρ — προςήκει* parenthetice accipio.

σαν ἡδονὴν θεραπεύων συνέσομαί σοι, | ἀλλὰ καὶ τὴν μέλλουσαν ὠφέλειαν ἔσεσθαι, | οὐχ ὑπ' ἔρωτος ἡττώμενος, | ἀλλ' ἐμοῦ κρατῶν | οὐδὲ διὰ σμικρὰ ἰσχυρὰν ἔχθραν αναιρούμενος, | ἀλλὰ διὰ μεγάλα βραδέως ὀλίγην ὄργην ποιούμενος, | τῶν μὲν ἀκουσίων συγγνώμην ἔχων, | τὰ δὲ ἑκούσια πειρώμενος ἀποτρέπειν· | ταῦτα γάρ ἐστι φιλίας πολὺν χρόνον ἐσομένης τεκμήρια. — Quam primariarum partium ex allatis exemplis cognoscimus aequalitatem, eandem magis etiam in singulis partium membris ne minutissimis quidem particulis exceptis, et ipsis saepissime opponendo effectis animadvertimus, ita ut verba verbis ad amussim saepissime respondeant. Atque hanc quidem sententiam ea, quam modo adscripsi, periodo illustrabo. — Utraque pars primaria et ipsa binas continet partes, quae longitudine plane sibi respondent: ἐκεῖνοι μὲν — γιγνώσκοντες | τοιαῦτα — τυγχάνειν et ἐὰν δὲ — κρατῶν | οὐδὲ — ἀποτρέπειν, nisi quod utrobique alteri parti brevius membrum, ad sententiam non plane necessarium, adjectum est: hic: ὥςτε — προςήκει, illic ταῦτα γὰρ — τεκμήρια. Sed jam has secundarias quoque partes inspiciamus: ἐκεῖνοι — γιγνώσκοντες aeque ac τοιαῦτα — προςήκει et ipsum duo membra continet; sed in altero illo accuratius, adeo ut vel syllabae finales sibi respondeant: ἐκεῖνοι μὲν — ἐπαινοῦσιν | τὰ μὲν — γιγνώσκοντες et τοιαῦτα — νομίζειν | τοιαῦτα — τυγχάνειν. — Jam alteram partem periodi primariam ubi spectamus, si discesseris a brevissimâ illâ protasi ἐὰν δ' ἐμοὶ πείθῃ, duo animadvertimus cola et numero verborum et structura plane congrua πρῶτον μὲν — κρατῶν | οὐδὲ — ἀποτρέπειν; utrumque illud et primariam (οὐκ — συνέσομαί σοι | ἀλλὰ — ἔσεσθαι et οὐδὲ — ἀναιρούμενος | ἀλλὰ — ποιούμενος) et quae ei

explicandae inservit (*οὐχ' ἡττώμενος | ἀλλ' — κρατῶν*[14]) et *τῶν μὲν — ἔχων | τὰ δὲ — ἀποτρέπειν*) sententiam et ipsam ex paribus membris compositam, continens. Hanc igitur periodi descriptionem propono:



Quasnam igitur ex hac periodo cognoscimus leges? Primum quidem aequalitatem, in primariis periodorum partibus, sola plerumque effici magnitudine, haud raro etiam membrorum numero, admissâ tamen diversa eorum ratione (cfr. quam supra ex p. 231, a. adscripsimus periodum. p. 232, e. et 233, a. etc.); sed quo interiores partes sint, eo accuratiorem fieri responsionem, in simplicissimis vero membris verba verbis respondere et saepissime eundem eorum esse exitum. Praeter hujus periodi exempla — *ποιεῖ νομίζειν*, — *ἀναγκάζει τυγχάνειν* et *οὐδὲ — ἀναιρούμενος ἀλλὰ — ποιούμενος*, quum ubique fere obvia sint, provocasse sufficiat ad p. 231, a. — *προφασίζεσθαι*, — *ὑπολογίζεσθαι*, — *αἰτιάσασθαι* p. 233, d. — *φθονοῖεν*, — *μισοῖεν*.

---

14) Parum recte Haenisch. de hoc loco statuisse videtur *πρῶτον μὲν* — et *οὐχ — κρατῶν* et *οὐδὲ ποιούμενος* coordinata accipiens; nam structura ubi particulis *πρῶτον μὲν* membrum respondeat *ἀσυνδέτως* adjectum, exemplis caret. Sed omnia et ad sententiam, et ad membrorum aequalitatem bene se habent, modo *οὐχ — ἡττώμενος ἀλλὰ κρατῶν* antecedenti *συνέσομαι*, cujus rationem afferat, subjunctum statuamus.

a b c

p. 234, a.: *οὐδὲ οἱ διαπραξάμενοι πρὸς τοὺς ἄλλους*

d a b e

φιλοτιμήσονται, ἀλλ' οἵτινες αἰσχυνόμενοι πρὸς ἅπαν-

d

τας σιωπήσονται 15).

Quamvis haec aequalitatis lex plurimum valeat in erotico, nonnullis tamen locis inde recedit orator, rationem ille secutus, in qua melioris artis prima certe agnoscas vestigia. Nam quod ab Isocrate tantum non semper observatum et a rhetoribus aperte praeceptum videmus16), ut, si plura membra coacerventur, reliqua ab ultimo superentur magnitudine, quo totius finis melius percipiatur ipsique periodo firmum velut fundamentum subjiciatur, ejus stamina nobis ostendit eroticus. V. p. 233, e, f. et 234, a. *ἀλλ' ἴσως προςήκει — ἐπιδείξονταί* sex membra continet ex antithetis composita, quorum prima quatuor plane ejusdem sunt magnitudinis, penultimum cetera aliquanto jam superat: *οὐδὲ τοῖς ὀλίγον χρόνον σπουδάζουσιν, ἀλλὰ τοῖς διὰ παντὸς τοῦ βίου φίλοις ἐσομένοις*, sed majore etiam ambitu ultimum insigne est: *οὐδὲ οἵτινες παυόμενοι τῆς ἔχθρας πρόφασιν ζητήσουσιν, ἀλλ' οἱ παυομένης τῆς ὥρας τότε τὴν ἀρετὴν ἐπιδείξονται.* Aliud exemplum est p. 232, c., ubi duobus membris ex omni parte paribus: *φοβούμενοι· τοὺς μὲν οὐσίαν κεκτημένους, μὴ χρήμασιν αὐτοὺς ὑπερβάλωνται, | τοὺς δὲ πεπαιδευμένους, μὴ συν-*

---

15) Cfr. Aristot. Rhet. 3, 9. fin. *ἔστι δὲ ἅμα πάντ' ἔχειν ταὐτὸ, καὶ ἀντίθεσιν εἶναι τὸ αὐτὸ, καὶ πάρισον, καὶ ὁμοιοτέλευτον.*

16) Demetr. de elocut. §. 18. *ἐν δὲ ταῖς συνθέτοις περιόδοις τὸ τελευταῖον κῶλον μακρότερον χρὴ εἶναι, καὶ ὥσπερ περιέχον καὶ περιειληφὸς τὰ ἄλλα.*

ἴσει κρείττους γένωνται, longius tertium subjicitur: τῶν δ' ἄλλο τι κεκτημένων ἀγαθὸν τὴν δύναμιν ἑκάστου φυλάττονται. Denique alium locum afferre liceat, ob nimis artificiosam structuram valde illum memorabilem. p. 233, e.: ἐκεῖνοι γὰρ καὶ ἀγαπήσουσι, | καὶ ἀκολουθήσουσι | καὶ ἐπὶ τὰς θύρας ἥξουσι· | καὶ μάλιστα ἡσθήσονται | καὶ οὐκ ἐλαχίστην χάριν εἴσονται | καὶ πολλὰ ἀγαθὰ αὐτοῖς εὔξονται. Quae sex h. l. videmus membra, eaque ita comparata, ut, quum ad sententiam quartum primo, quintum secundo, sextum tertio respondeat ejusque quodammodo continuationem effectumque contineat, parallelismus quidam et summus partium concentus efficiatur, qui quidem seriore Lysiae aetate admodum memorabilis est, eorum jam terminationes (-ουσι, -ουσι, -ουσι et -ονται, -ονται, -ονται,), non omnia in eâdem linea posita accipienda esse, dilucide ostendunt; quod idem, quum tertium membrum antecedentibus sit longius, quae vero sequuntur inde a quarto, quod tertio paulo minus est, denuo crescant, ita ut ultimum: καὶ πολλὰ ἀγαθὰ αὐτοῖς εὔξονται omnium maximum sit, verborum numero plane evincitur. Ratio jam satis profecto artificiosa; sed quam putido studio revera hic locus conspicuus sit, plane cognosces, quum litteras, quae terminationes illas proxime antecedunt, accurate inspexeris; quas quidem et ipsas ad hunc sententiae, ut ita dicam, parallelismum indicandum, sibi respondentes fecit orator: -σ (ουσι) -σ -ξ et -σ (ονται) -σ -ξ.

At restat jam quaestio, quibus artibus hanc accuratam membrorum responsionem, quam non semper sibi requisivisse sententiam, neminem fugit, orator effecerit. Quantum video praeter mutatam

structuram (p. 231, a. ubi ad sententiam pro σκοποῦσιν exspectamus σκοποῦντες, quemadmodum προςτιθέντες dictum est), triplici ratione eam assecutus est, aut *adjiciendis*, quae ad sententiam *minus* erant *necessaria*, aut *relinquendo consentaneam* et alibi in hac ipsa oratione servatam *verborum collocationem*, aut *opponendis* membris, *licet sententia nihil contrarii contineat*. Quorum generum exempla afferam, quam potero, luculentissima.

Primam rationem, ut, quae non sibi requirat sententia, addita sint, in his locis puto oratorem secutum esse p. 231, b. τοῖς δὲ μὴ ἐρῶσιν οὔτε τὴν τῶν οἰκείων ἀμέλειαν διὰ τοῦτο ἔστι προφασίζεσθαι, οὔτε τοὺς παρεληλυθότας πόνους ὑπολογίζεσθαι, οὔτε τὰς πρὸς τοὺς προςήκοντας διαφορὰς αἰτιάσασθαι, ubi unum προφασίζεσθαι, ut magis generale etiam cum πόνους et διαφορὰς aptissime jungi poterat. — Aeque 233, b. δυςτυχοῦντας μὲν ἃ μὴ λύπην τοῖς ἄλλοις παρέχει ἀνιαρὰ ποιεῖ νομίζειν, εὐτυχοῦντας δὲ καὶ τὰ μὴ ἡδονῆς ἄξια παρ' ἐκείνων ἐπαίνου ἀναγκάζει τυγχάνειν; oratori, nisi summo aequalitatis studio ductus esset, paulo aliter inflexa oratione, ἀναγκάζει τυγχάνειν licebat omittere; nec minus p. 232, c. τοὺς μὲν οὐσίαν κεκτημένους, μὴ χρήμασι αὐτοὺς ὑπερβάλωνται, τοὺς δὲ πεπαιδευμένους, μὴ συνέσει κρείττους γένωνται, altero utro verbo facile careremus. — Ceterum omnes ejusmodi loci ob accuratum verborum usum, Lysiae imprimis proprium non facile nauseam movent legentibus. Neque tamen verbositas partim ex hoc aequalitatis studio, partim, quae Platonis est sententia, ex ostentatione quadam nata philosophi vituperationem effugit. p. 235, a. καὶ δὴ οὖν μοι ἔνδοξεν — δὶς καὶ τρὶς τὰ αὐτὰ εἰρηκέναι ὡς οὐ πανὺ εὐπορῶν

τοῦ πολλὰ λέγειν περὶ τοῦ αὐτοῦ, ἢ ἴσως οὐδὲν αὐτῷ μέλον τοῦ τοιούτου· καὶ ἐφαίνετο δή μοι νεανιεύεσθαι ἐπιδεικνύμενος, ὡς οἷός τε ὢν ταῦτα ἑτέρως τε καὶ ἑτέρως λέγων ἀμφοτέρως εἰπεῖν ἄριστα. — Valde igitur miror Hoelscherum ipsa hac verborum abundantia argumento usum, quo octavam orationem a Lysia abjudicaret; praesertim, quum duos eorum, quos affert locos, §. 2.: τοὺς δοκοῦντας et §. 3. οἷς ἐξημάρτηκε ne jure quidem hoc nomine reprehendat, tertius autem §. 3.: καὶ ἐκεῖνος ἀπήγγειλε aequalitatis studio tam insignis sit, ut eum quam maxime pro Lysiano habeam. — Quod vero discrimen deprehendisse sibi videtur Hoelscherus, non assequor.

Alterum, quo ad efficiendam membrorum aequalitatem orator usus sit, artificium indicavi in verborum collocatione esse positum. V. p. 233, b. ὥςτε πολὺ μᾶλλον ἐλεεῖν ἢ ζηλοῦν αὐτοὺς προςήκει[17]), ubi ἐρωμένοις, proprie ante προςήκει collocandum, ne ἐλεεῖν nimis nude positum sit, loco non suo positum est. p. 233, d. οὔτ' ἂν τοὺς υἱεῖς περὶ πολλοῦ ἐποιούμεθα οὔτ' ἂν τοὺς πατέρας καὶ τὰς μητέρας, οὔτ' ἂν πιστοὺς φίλους ἐκεκτήμεθα, pro eo, quod simplicissimum erat: οὔτ' ἂν τοὺς υἱεῖς καὶ τοὺς πατέρας καὶ τὰς μητέρας περὶ πολλοῦ ἐποιούμεθα οὔτ' — ἐκεκτήμεθα, ne prius membrum longius esset transpositis verbis περὶ πολλοῦ ἐποιούμεθα et repetitis particulis οὔτ' ἂν duo effecit membra, tertio illi οὔτ' ἂν πι-

17) Quum vulgata lectio αὐτοὺς vel αὐτοῖς bonum sensum non fundere videatur — nam Stallbaumii interpretatio: »Quocirca in eos, qui amantur, multo potius convenit, ut eorum miserearis, quam ut iis invideas« verbis repugnare videtur, — levissimam Haenischii mutationem αὐτοὺς adoptaverim. Cfr. p. 232, a. cum Haen. ann.

στοὺς φίλους ἐκεκτήμεθα magnitudine paria. — Eodem consilio φιλίαν αὐτοῖς ἐκ τοῦ πράγματος ἢ ἔχθραν γενήσεσθαι (p. 232, e.) verba αὐτοῖς ἐκ τοῦ πράγματος a γενήσεσθαι sejunctum est. — p. 232, a. ἐπαρθῆναί τε λέγειν καὶ φιλοτιμουμένους ἐπιδείκνυσθαι. Exspectamus infinitivum, qui illi ἐπαρθῆναί τε respondeat; sed quum φιλοτιμουμένους tantum explicandi causa adjectum sit verbo ἐπιδείκνυσθαι, frustra quaerimus, nisi ut particulae τε, cujus post λέγειν proprie locus erat, statuamus transpositionem [18]), quâ membrorum aequalitas efficitur.

Tertio loco dixi aequalitatem membrorum ex oppositione nasci; quâ, quum haec forma omnium maxime sit idonea, tum quoque antiquiores oratores usi sunt, quum sententia accuratam oppositionem non ferebat. Exemplo sit ipsum erotici initium: περὶ μὲν τῶν ἐμῶν πραγμάτων ἐπίστασαι — ἀξιῶ δὲ μὴ διὰ τοῦτο ἀτυχῆσαι κ. τ. λ. — At ne in eo quidem, ut plane aliena sibi opponerentur, substitit hoc aequalitatis studium, sed ejusdem plane sententiae membra, dummodo vocabula diversa essent, interdum sibi opponebantur. Quamvis eroticus ejus non praebeat exemplum, Lysiam tamen alias a mollissima hac ratione haudquaquam abhorruisse, fragmento illo orationis pro Nicia (Dion. Hal. c. 14.) evincitur: ἱκέται μὲν αὐτοὶ τῶν θεῶν καθίζοντες, προδότας δὲ τῶν ὅρκων ἡμᾶς ἀποφαίνοντες, de quo quidem ob hanc ipsam causam eo minus poterit dubitari, quod hoc potissimum in acerbam Theophrasti reprehensionem incurrit: τούτων (sc. ἀντιθέτων) δὲ τὸ μὲν ἴσον καὶ τὸ ὅμοιον παιδιῶδες, καθαπερεὶ ποιη-

18) Etiam censor Heidelbergensis transpositionem h. l. statuit. p. 262.

μα. — ἐκλίει γὰρ τὸν ἀκροάτην. οἷον ὡς ὁ Λυσίας — βουλόμενος ἔλεον ποιεῖν. — Causam, cur hoc fieri potuerit in ipsis verbis quaero membra incipientibus: ἱκέται — προδότας et αὐτοὶ — ἡμᾶς, quae quum revera sibi opposita essent, auditores facile in opinionem induxere, sententias et ipsas contrarias esse. Neque aliter Theophrastum de hac opponendi ratione statuisse, ex ejus verbis colligendum videtur: φαίνεται γὰρ ἀπρεπὲς, σπουδάζοντα τοῖς πράγμασιν, τοῖς ὀνόμασιν παίζειν. Quaerenti mihi, cui hanc quaesitam orationis ornandae rationem debeat Lysias, Siculos potius, εὐεπείας quae dicitur studiosissimos, quam Atticos oratores, quos eo progressos esse, ut eidem idem opponant, invenire non memini, in eo secutus esse videtur. Nam Siculorum hoc proprium fuisse e versu Epicharmi ab Aristotele (Rhet. 3, 9.) et Demetrio (de eloc. §. 24.) laudato:

> Τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼν ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγών [19]),

quem jam Demetrius ad irridendos oratores compositum esse, statuit[20]), colligendum videtur.

His jam deducimur ad alterum, quod tum periodi illius, quum totius erotici proprium est, non solum primarias periodorum formas oppositione nasci, sed etiam in partibus partiumque membris eam quam maxime oratori familiarem esse. Exempla hujus antithesium studii afferre, non necesse videtur, quum quaevis pagina eis referta sit; neque in hoc loco diutius morarer, nisi, quod Hoelscherus tulit judicium, paucis mihi perstringendum esset. Quam-

---

19) Polman Kruseman: Epich. fragm. p 93. frgm. XXX.

20) l. l. καὶ ἅμα σκώπτων τοὺς ῥήτορας.

quam enim Spengelio largitur, octavae orationis et amatoriae dictionem esse simillimam (p..73.), tamen, ne quis inde colligat, alteram orationem alterius indole defendi, pergit: »*At eroticus a nostra (VIII.) oratione diversissimus est; in illo enim antithesium genus frequentatum esse, negari quidem non potest, sed ex argumento ipso, quia amantem ei, qui non amet, opponi* n e c e s s e *f u i t, fluit, neque contortius (?) in aliis rebus usurpatum est.*« Verum quidem est, permultas antitheses ex ipso argumento primario fluxisse, neque vero rarius in aliis rebus hac dicendi ratione usum esse, quemquam latere puto. Cfr. p. 233,a. *οὐκ ἐξ ὧν—, ἀλλὰ—*. i b i d. *τὰ μὲν—, τὰ δὲ—*. i b i d. b. *δυςτυχοῦντας μὲν—, εὐτυχοῦντας δὲ—*. i b i d. *τῶν μὲν ἀκουσίων — τὰ δὲ ἑκούσια —*. i b i d. d. *οὐκ ἐξ ἐπιθυμιῶν, ἀλλ᾽ ἐξ ἑτέρων ἐπιτηδευμάτων*, quae exempla ex paucis tantum versibus petita facili negotio cumulare licebit. — Quamvis igitur Hoelschero largiar, magnam antithesium partem cum ipso erotici argumento cohaerere; eodem tamen jure adjicio, nemini, nisi qui antithesium esset studiosissimus, hoc accidere potuisse; quod altera Platonis oratione probatur, quae licet in eodem argumento versetur, in hoc tamen dicendi generis vituperium haudquaquam incidit. — Accedit, quod Hoelscheri sententia in eo tantum nititur, quod eroticus ab ipso Lysia conscriptus sit; quod, quum prorsus negandum videatur, vereor ne in contrariam res vertat, ut Platonem, quo luculentissime hoc Lysiae studium lectori ostenderet, in ea potissimum re de industria elaborasse statuamus, quae quam plurimas antitheses admitteret. Quod igitur expressis verbis tradit Photius, Lysiam antithesium fuisse

studiosissimum [21]), id prorsus firmatum videmus Platonis testimonio.

Haec habui, quae de priore Lysiae aetate disputarem; nil igitur, ut hanc partem absolvamus, reliquum est, nisi ut judicium de artis oratoriae gradu, ad quem tum progressus fuerit Lysias, interponatur. Atque ejus quidem periodos, utpote laxiore quodam vinculo cohaerentes [22]), nondum vere oratorias esse, omne autem Lysiae studium eo tendere, ut summa partium membrorumque aequilibrio accuratissimaque eorum oppositione animis auditorum lectorumve lenocinaretur, in superioribus jam demonstratum est. Quam orationis indolem tantum abesse, ut auditores excitet, ut plane sit frigida, non solum nostrae aetatis Viri Docti judicant [23]), sed etiam veteres rhetores docent [24]), et quod in nostram quaestionem summi momenti est, ipse Plato de hac Lysiae indole idem tulit judicium, iis, quae dicentem facit Socratem p. 234, d. *Δαιμονίως μὲν οὖν, ὥςτε με ἐκπλαγῆναι καὶ τοῦτ᾽ ἐγὼ ἔπαθον διά σε, ὦ Φαῖδρε, πρός σε ἀποβλέπων. — ἡγούμενος*

---

21) Cod. 262. *ἰδίωμα δὲ Λυσίου τὸ τὰς ἀντιθέσεις προάγειν, μηδαμῶς μὲν ἐμφαινούσας τὸ ἐπιβεβουλευμένον, τὸ δὲ ὑπ᾽ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἐπεσπασμένον δεικνύειν.* Ultima tamen verba studio dicta esse, patet.

22) Demetr. de eloc. §. 20. *τῆς δὲ ῥητορικοῦ περιόδου συστραμμένον τὸ εἶδος καὶ κυκλικόν.*

23) Dissen. de struct. period. orat. in ed. s. Dem. de coron. p. XXXIV. »Quum enim aequilibrium in divisionibus et oppositionibus quaesitum studiosius, magnam tarditatem habeat —.«

24) Demetr. de elocut. §. 27. *χρῆσις δὲ τῶν τοιούτων κώλων ἐπισφαλής. — ἐκλύει γὰρ τὴν δεινότητα ἡ περὶ αὐτὰ τερθρεία καὶ φροντίς.*

γάρ σε μᾶλλον ἐπαΐειν περὶ τῶν τοιούτων σοι εἰπόμην, καὶ ἑπόμενος συνεβάκχευσα μετὰ σοῦ, τῆς θείας κεφαλῆς.

Haudquaquam igitur Lysias suavissimus, quem nunc admiramur, factus esset orator, aut multum ad excolendam artem oratoriam contulisset, si eâ, quam ad illud usque tempus institit, perrexisset viâ; sed ne hoc fieret, ipsa providit fortuna, quae casu quodam, qui tunc ipsum vehementer perculit Lysiam, in eam oratorem duxit viam, qua summam gloriam assecutus est. Ol. XCIV, 2.

Hinc alterius Lysiae aetatis initium repeto.

§. 3.

Quum Ol. XCIV, 1.[1]) frater Lysiae, Polemarchus, ab Eratosthene in carcerem abductus[2]), triginta virorum jussu venenum hausisset[3]), ipseque Lysias sola fuga vitam servasset[4]), quam maxime consentaneum erat, oratorem nostrum ex exsilio reducem, quum triginta viri, nisi qui factorum rationem reddidissent, amnestiae tum constitutae expertes essent[5]), ut necati fratris vindictam sumeret, Eratosthenis exstare accusatorem. Haec oratio, quum prima sit, quam judiciali usui aut sibi aut alii cuiquam conscripserit, cujus ipse testis est in Eratosth. §. 3. ἐγὼ μὲν οὖν οὔτ' ἐμαυτοῦ οὔτε ἀλλότρια πράγματα πράξας, νῦν ἠνάγκασμαι, ὥστε πολλά-

1) Hoelscher l. l. p. 24.
2) Lys. in Eratosth. §. 16. 25.
3) Lys. l. l. §. 17.
4) Lys. l. l. §. 17. cfr. §. 15.
5) Andocid. de myst. §. 90.

κις εἰς πολλὴν ἀθυμίαν κατέστην, μὴ διὰ τὴν ἀπειρίαν ἀναξίως — τὴν κατηγορίαν ποιήσωμαι [6]), et quum hujus accusationis eventus arctissime cohaereret non solum cum praesente ipsius oratoris conditione, sed etiam cum futura animi tranquillitate (καὶ ὑπὲρ ἐμαυτοῦ), non potuit quin maxime differret a quibuscunque aut oblectationis aut exercitationis causa priore aetate conscriptis. Plane remotus jam a quoquam oblectandi consilio, id potissimum spectabat, ut, qua ipse flagraret ob trigintavirorum et imprimis Eratosthenis perfidiam indignatione, ea judices quoque inflammaret, quam posset maxima. Num hoc fieri potuit sententiarum verborumque lusu aut accurato membrorum aequilibrio ex frequentissimis antithetis et divisionibus petito, quo intactos relinqui audientium animos ne ipsum quidem fugere potuit Lysiam? Nonne jam, re ipsa postulante senserit, animum vere commotum non indigere oratoriis illis artificiis [7]), sed per ipsius vim ingenue patefactam valere quam maxime? Et, ut celeberrima Antiphontis oratio a veteribus prae ceteris ejus orationibus summis laudibus affecta [8]), instanti mortis supplicio originem debuit, et Demosthenis, quas proprio animo commotus ipse habuit ceteris quamvis praestantissimis multo praelucent, nam

---

6) Cfr. Spengel p. 124. — Stallb. praef. ad Phaedr. p. XXIII. 1.

7) Demetr. de elocut. §. 27. ἡ γὰρ ὁμοιότης ἡ περὶ τὰ κῶλα — ἐκλύει τὴν δεινότητα. θυμὸς γὰρ τέχνης οὐ δεῖται ἀλλὰ δεῖ τρόπον τινὰ αὐτοφυᾶ εἶναι ἐπὶ τῶν τοιούτων κατηγοριῶν καὶ ἁπλὰ τὰ λεγόμενα.

8) Thucyd. 8, 68. ἄριστα φαίνεται τῶν μέχρι ἐμοῦ — ,θανάτου δίκην ἀπολογησάμενος. — Cic. Brut. 12. — Cfr. Krueger ad Dion. Hal. histor. p. 374.

pectus est, quod disertos facit, ita quum omnium Atheniensium tum sui ipsius calamitas Lysiae orationem κατ' Ἐρατοσθένους inscriptam provocavit: non solum illam per se praestantissimam, sed etiam in historiam eloquentiae accuratius cognoscendam, ut apparet, gravissimam. — Nihilominus tamen subita haec mutatio miri quid haberet, si genus dicendi, quali jam opus erat, plane inveniendum fuisset Lysiae; sed erat, quo, putido illo studio relicto, uti poterat exemplo; Thrasymachum dico, quem medium dicendi genus, praecipue sententias arcte contrahendi artem [9]) paulo ante invenisse constat [10]).

Sed magnum hunc subitumque Lysiae ad veram artem progressum, quem perspecta causa, quamvis summa admiratione, non tamen stupore intuemur, ita ut, quam Hoelscherus p. 73. contra orationis octavae authentiam rationem attulit, nimis differre hanc dicendi rationem ab altera illa, quam pro exiguo temporis interjecti spatio [11]), sponte cadat, jam potius sum adumbraturus, quam usque ad interiores ejus recessus persecuturus, quum paulo post eo redeundum sit. Quodsi in universum jam dixi, quaesitum illum ex membrorum responsione ornatum ab hac oratione abesse, nolim hoc intelligi, quasi ab antithetis, membris paribus et similiter cadentibus jam plane abstinuerit Lysias, nam hoc neque po-

---

9) Dion. de adm. vi Dem. c. 3. τρίτη λέξις ἦν ἡ μικτή τε καὶ σύνθετος ἐκ τούτων τῶν δυεῖν. ἦν ὁ μὲν πρῶτος ἁρμοσάμενος — εἴτε Θρασύμαχος ἦν, ὡς οἴεται Θεόφραστος κ. τ. λ. — jud. de Lys. 6. cfr. jud. de Isaeo c. 20.

10) Spengel p. 94 sq. cui Theophrasti auctoritatem secuto, plane adstipulor.

11) Ol. 92; cujus temporis Spengel hanc exercitationem habet, usque ad Ol. 94, 2.

tuit, quandoquidem haec maxime dicendi ratio ejus esset propria, neque si licuit, quum suo loco etiam harum figurarum in oratione usus sit[12]), sed ad justum modum ea revocavit, tum tantum huic indulgens studio, quum certum consilium persequebatur. Conferas velim orationis prooemium, quod, ut rei gravitatem indicet antithetis, isocolis, homoeoleutis, haudquaquam illis unisonis, sed diversissimorum generum abundat; nam τῇ μεγαληγορίᾳ συνεργοῖ ἂν τὰ τοιαῦτα κῶλα[13]). Quae orationis pars prooemium excipit, διήγησις, in ea rarissime inveniuntur, ne dicam plane ea abesse. Nec sine justa illud causa. Nam quid antiquius habere potuit orator, quam ut de singulis factis persuaderet judicibus, vel, si graeco verbo uti licet, ut quam maximam narrationi pararet πιθανότητα? Eam vero orationis simplicitate potius effici quam splendore, veteres probe tenebant[14]). In ceteris orationis partibus, *probatione, refutatione, conclusione*, frequentius quidem redeunt antitheta, sed de pleno membrorum aequilibrio, paucos locos si exceperis, non cogitandum est.

§. 4.

At quum, quantum quidem scimus, hanc in Eratosthenem orationem unam ipse habuerit Lysias[1]),

---

12) Demetr. de eloc. §. 29. *γίνεται μέντοι γε χρήσιμά ποτε* (sc. *τὰ παρόμοια, ἀντίθετα κ. τ. λ.* — Aristot. Rhet. 3, 9. *ἡδεῖα δὲ ἐστὶ ἡ τοιαύτα λέξις, ὅτι τὰ ἐναντία γνωριμώτατα, καὶ παράλληλα μᾶλλον γνώριμα.* Cfr. Dissen l. l. p. XL.

13) Demetr. de eloc. l. l.

14) Aristot. Rhet. 3, 7. *πιθανοῖ δὲ τὸ πρᾶγμα καὶ ἡ οἰκεία λέξις.*

1) Hoelscher p. 60. conjecturam profert ipsum Lysiam

ceteras autem aliis hominibus, quorum sorte multo minus eum commotum fuisse, consentaneum erat, quamvis odium trigintavirorum fratris nece conceptum in nonnullis similis argumenti orationibus multum valuerit, verendum erat, ne in nimis artificiosam illam dicendi rationem relaberetur, nisi alia re in cognoscendam Lysiae artem gravissimâ cautum esset, ethopoeiâm dico. Nam quum praeter *auditorem et tractandam rem*, quorum varietate tria illa orationum genera, *epideicticum, judiciale, deliberativum*, efficiuntur [2]), oratoribus, qui aliorum usui orationes componebant, *ipsae actorum personae*, ne *alieni* et ab indole sua abhorrentis quidquam dicentes fierent, spectandae essent, sanum Lysiae tulit judicium, ut in hac potissimum oratoriae artis parte summam collocaret diligentiam. V. Dion. Hal. c. 8. *ἀποδίδωμί τε οὖν αὐτῷ καὶ τὴν εὐπρεπεστάτην ἀρετὴν, καλουμένων δὲ ὑπὸ τῶν πολλῶν ἠθοποιΐαν.* c. 9. *ὁρῶν αὐτὴν* (sc. *τὴν λέξιν*) *πρός τε τὸν λέγοντα, καὶ πρὸς τοὺς ἀκούοντας καὶ πρὸς τὸ πρᾶγμα — ἀρκούντως ἡρμοσμένην· καὶ γὰρ ἡλικίᾳ καὶ γένει καὶ παιδείᾳ καὶ βίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις, ἐν οἷς διαφέρει προσώπων τὰ πρόσωπα, τὰς οἰκείας ἀποδίδωσι φωνάς.* — Quintil. institt. 3, 8. p. 232. ed. Harl. »*Neque enim minus vitiosa est oratio, si ab homine, quam si a re, cui accommodari debet, distat. Ideoque Lysias in iis, qui scribebat indoctis, optime servasse videtur veritatis fidem.*« — Quae testimonia etiamsi non hanc prae ceteris in Lysia praedicarent virtutem, illum

---

quintam quoque, *ὑπὲρ Καλλίου* orationem habuisse, provocans ad §. 1, ubi equidem nihil, unde hoc colligeretur, inveni. Cfr. in Alcib. I. §. 3. et II. §. 12.

2) Aristot. Rhet. I, 3.

eam praecipue certe appetivisse, inde jam colligeremus, quód in arte, quam conscripsit (παρασκευαὶ ejus nomen erat. V. Spengel p. 136.), hunc potissimum locum tractaverit. Marcell. in Hermogenem p. 142. εἰσὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι τόποι γεγυμνασμένοι τῷ Λυσίᾳ ἐν ταῖς παρασκευαῖς. λέγει γὰρ οἵους ἀπεργάζεται ἡ πενία καὶ οἵους τὸ πλουτεῖν καὶ ἡ νεότης καὶ τὸ γῆρας. Sed ne sic quidem plane tutus erat a quaesita orationis gravitate, nisi ipsa fausta ejus tulisset fortuna, ut indoctis plerumque et inferioris conditionis hominibus orationes ei conscribendae essent; quod factum esse non solum ex iis, quae superstites sunt, orationibus colligitur, sed etiam diserto Photii testimonio plane evincitur. Cod. 262. p. 488. b. Bekk. τοὺς μέντοι γε τῶν λόγων πλείους ἰδιώταις ἐκδεδοκέναι λέγεται. — Ejusmodi igitur hominibus ut dictionem accommodaret, vulgari Atheniensium sermone uti coactus, tertium potissimum dicendi genus τὸ ἰσχνὸν, ἀφελὲς κ. τ. λ., abhorrens illud a quoquam poetico ornatu excoluit; et huic praecipue arti debuit, quod, liberatus ab artificiosioris ornatus compedibus, verae simplicisque prosariae orationis fieret conditor. Cfr. Dion. c. 3. ἰδίαν τινὰ λόγων εὕρηκὼς ἁρμονίαν, ἣ τὰ ὀνόματα κοσμεῖ τε καὶ ἡδύνει, μηδὲν ἔχοντα ὀγκῶδες μηδὲ φορτικόν.

Descripturus igitur hujus aetatis Lysiae virtutes, quas omnes, ut apparet, inde, quod judiciali usui conscriptae sint, repetamus necesse est, primo loco eas attingam, quae ex ἤθει illo, quod, ut vidimus, maxime petebat Lysias, natae videntur. — Primum hinc apparet, cur periodi a vulgari vitae propius absint, quam a perfecto orationis circuitu. Dion. c. 8. καὶ συντίθησί γε αὐτὴν ἁπλῶς πάνυ καὶ ἀφελῶς, ὁρῶν, ὅτι οὐκ ἐν τῇ περιόδῳ καὶ τῷ ῥυθμῷ ἀλλ' ἐν τῇ

διαλελυμμένῃ λέξει γίνεται τὸ ἦθος. — Sed ut inter ipsas orationes, ita valde discernendum est inter diversas orationis partes, quarum suam quamque sibi requirere dicendi rationem, quis est, qui nesciat? Licet non tantum discrimen appareat inter prooemii, probationis, refutationis, conclusionis periodos, quam maxime tamen a ceteris partibus differt *narratio* (διήγησις); ab artificiosa verborum structurâ ita illa aliena, ut, quo quodvis momentum, ipsi oratori gravissimum, judicibus quoque sic appareat, ibi paene λέξις εἰρομένη sit. Ubique fere videmus enuntiationes brevissimas particulis δὲ, γὰρ, δὴ nexas, quo quidem effecit orator, ut, quamvis summa arte usus [3]), omnis artis expers solam veritatem spectare videretur, ideoque omnium oratorum audiret πιθανώτατος. Dion. 8. οὐκ οἶδ' εἴ τις ἄλλος ῥητόρων — εἴτε ἥδιον συνέθηκεν εἴτε πιθανώτερον. c. 9. διηγουμένῳ δὲ πιθανὴ καὶ ἀπερίεργος sc. ἡ λέξις.

Reliquae orationis partes, licet et ipsae longioribus periodis haudquaquam abundent, ita tamen sunt comparatae, ut, Lysiam, modo consilium ejus tulerit, etiam meliores struere scivisse periodos, jure tuo inde colligas. — Nam qui antiquorum oratorum in componendis periodis est mos, ut ipsum factum verbo finitum indicatum statim in initio collocent, et quae ei explicandae inservirent, subjicerent, ab eo Lysias jam multo saepius recedit, sententias explitivas sive particulis, ut ἐπειδὴ, qua Lysias satis

---

3) Dion. 8. δοκεῖ μὲν γὰρ ἀποίητός τις εἶναι καὶ ἀντεχνίτευτος ὁ τῆς ἁρμονίας χαρακτηρ. Καὶ οὐ θαυμάσαιμ' ἂν, εἰ πᾶσι μὲν τοῖς ἰδιώταις — παράσχοι δόξαν, ὅτι ἀνεπιτηδεύτως — αὐτομάτως δὲ συγκεῖται. πεποίηται γὰρ αὐτῷ τοῦτο τὸ ἀποίητον — καὶ ἐν αὐτῷ τῷ μὴ δοκεῖν δεινῶς κατεσκευάσθαι, τὸ δεινὸν ἔχει.

libenter utitur (in Agor. §§. 28. 29. 30. 34, 39. pro bonis Aristoph. §. 21. pro Polystrato §. 31 etc.), nexas sive participiis aut constructis aut absolutis expressas (in Eratosth. §§. 67. 68. 69. 72. 78. in Agorat. §§. 15. 21. 24. 25. 26. 60. 92. 93. 94. 95. 97.) praemittens. In his plerumque quidem subjectum et ipsum participio postponitur; sed non plane absunt ejusmodi loci, ubi, quo arctior efficiatur totius periodi conjunctio, participium inter subjectum et verbum interponitur. Pro bon. Aristoph. §. 26. de publicat. bonor. Eucratis. §§. 2. 4. 6 etc. — Quae autem verbum antecedunt explicantes sententiae, eas et ipsas subjunctis explicari sententiis, hujus rationis in judicialis generis orationibus exemplum invenire non memini; neque aliud artificiosioris periodi genus inveni atque in quo aliae sententiae inservientes verbum finitum antecedunt, aliae subsequuntur. V. in Agor. §. 15. *ὁρῶντες δὲ — οὐκ ἔφασαν· οὐκ ἐλεοῦντες οὐδὲ κηδόμενοι. — οὐδ' οὐκ ἐπιθυμοῦντες —.* Etiam alibi hanc observasse mihi videor legem, ut, paucos locos si exceperis, sententias, *conditioni* describendae inservientes (temporales) verbo praemittat, quae autem ex hominum agentium animis afferat, ut ea postponantur; unde explico, quod participia, qualia *ἡγούμενοι, εἰδότες,* (in Agor. l. l.) *ἐλεοῦντες*, similia, tantum non semper verbo subjiciantur. — Quum figurae, quibus Lysias utitur, aeque ad *ἦθος* efficiendum spectent, *sententiarum* (*διανοίας*) figurae, utpote *πάθους* indicia, plane absunt, neque earum *verborum* figurarum, quae artificiosioris orationis propriae sunt (*ἰσόκωλα, παρομοίωσις κ. τ. λ.*), quum a descriptione *ἤθους* abhorreant [4]), aut

4) Demetr. de eloc. §. 28. *οὔτε δῆτα ἐν δεινότητι χρήσιμα*

ullo modo inferioris conditionis hominibus conveniant, frequens usus est [5]). Solae igitur, in quibus aequalitatis studio indulget, orationes, praeter orationem in Eratosthenem, in qua saepius inveniuntur, eae sunt, quas hominibus magis eruditis conscripsit; ut in Agor. et pro bonis Aristoph.

Aeque simplex ac verborum structura, quum quodvis magis contortum ἤθει repugnet, est verborum collocatio; eam potissimum illa legem secuta, ut quae summi sunt momenti, cetera antecedant (cfr. praeter multos locos pro Mantitheo: ἀποδείξας ὡς οὐδεὶς ὑπ' ἐμοῦ τῶν πολιτῶν κακῶς πέπονθε, ubi ὑπ' ἐμοῦ, utpote ad sententiam gravius, nominativo et, qui inde pendet, genitivo, intromissum observes) quae causa est, cur verbum sive finitum sive participium sequente particula δέ, γὰρ etc. saepissime apud Lysiam primum enunciati locum teneat. Cfr. in Eratosth. §§. 42. 60. 66. 67. 68. 73. 76. 98. 79. 81. 82. in Agor. §§. 1. 2. 6. 10. 16. 18. 19. 20. de affect. tyrann. §§. 4. 7 etc. etc. At ne tum quidem membrorum aequalitas omni in verborum collocationem vi destituta est, quamvis exempla rarissima sint. V. in Eratosth. §. 64: ὥςπερ πολλῶν ἀγαθῶν αἰτίου, ἀλλ' οὐ μεγάλου κακοῦ γεγενημένου; ubi disjunctis αἰτίου γεγενημένου paria membra eaque similiter cadentia effecit.

τὰ τοιαῦτα οὔτε ἐν πάθεσι καὶ ἤθεσι· ἁπλοῦν γὰρ εἶναι βούλεται τὸ πάθος; ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ἦθος.

5) Certo quodam consilio *annominatione* usus est in Nicomach. §. 21: ὡς εὐσέβειαν, ἀλλ' οὐκ εὐτέλειαν ἀνέγραψε — in Philon. §. 26: οὐ περὶ τοῦ βουλεύειν, ἀλλὰ περὶ τοῦ δουλεύειν; quod non cum Emperio (l. l. p. 45.) a Lysia alienum habuerim. cfr. §. 24: τιμωρηθήσεται —, τετιμήσεται.

At non solum ut ἦθος appeteret Lysias, studium tulit judiciali maxime generi impensum, sed etiam a verbositate, quo priore aetate orator maxime laborabat vitio, eum quantum fieri posset cogebat abstinere. Nam quum orationibus habendis tempus certis iisque satis angustis limitibus circumscriptum esset, videndum erat, ne hora meris verbis consumta afferendis rationibus maxime necessariis deesset. Neque ipsum Dionysium fugit, hoc potissimum in causa fuisse, cur jam in brevitate Lysias summum studium collocaverit. jud. de Lys. c. 5: *οὐ μὰ Δί' ἀσθενείᾳ εὑρέσεως αὐτὸ ποιῶν, ἀλλὰ συμμετρήσει τοῦ χρόνου, πρὸς ὃν ἔδει γενέσθαι τοὺς λόγους. βραχύς γε μὴν οὕτως, ὡς μὲν ἰδιώτῃ, δηλῶσαι βουλομένῳ τὰ πράγματα, ἀποχρῶν, ὡς δὲ ῥήτορι, περιουσίαν δυνάμεως ἐνδείξασθαι ζητοῦντι, οὐχ ἱκανός*, cfr. c. 6. *ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις, οἰκεῖα πάνυ καὶ ἀναγκαῖα τοῖς δικανικοῖς λόγοις, καὶ παντὶ ἀληθεῖ ἀγῶνι.* Sed Dionysii judicium c. 5. non in quascunque Lysiae orationes aeque quadrare, quandoquidem verbosior est inferioris conditionis hominum indoles, brevior eorum, qui ad vitam liberalem instituti sunt, neminem latebit; et ne potuit quidem eandem ubicunque servare brevitatem, propter majorem minoremve in diversis orationibus sententiarum copiam. — Ceterum ab hac quoque parte magnum orationis partium discrimen esse, non est quod exponam, quum ipsa res doceat, verbosiorem dictionem sibi requirere *narrationes*, breviorum verbi causa *conclusiones*, *probationes* etc., quod ipsum expressis Dionysii verbis evincitur. c. 9. *διαφοράς τε αὐτῷ λαμβάνει κατὰ τάς τε ἰδέας τῶν πραγμάτων ἡ λέξις. — διηγουμένῳ δὲ* (sc. *ἐστὶ*) *πιθανὴ*

καὶ ἀπερίεργος· ἀποδεικνύντι δὲ στρογγύλη καὶ πυκνὴ κ. τ. λ.

§. 5.

Omnes Lysiae virtutes, de quibus modo disputavimus, quum ex studio judiciali repetendae sint, panegyrici generis [1]) aeque fuisse proprias, quandoquidem veteres accurate haec genera distinguunt, ne consentaneum quidem est. In universum Lysiam, quod intersit inter judiciale et panegyricum genus, probe tenuisse, discimus ex Dion. jud. de Lys. c. 9: *πρός τε τὸν ἀκροατὴν συμμετρεῖται τὰ λεγόμενα οἰκείως, οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον δικαστῇ τε καὶ ἐκκλησιαστῇ, καὶ πανηγυρίζοντι διαλεγόμενος ὄχλῳ.* **Videamus jam, quum praeter unum epitaphium et Olympiaci fragmentum panegyricarum Lysiae orationum nihil superstes sit, quales fuerint ex veterum judiciis.**

Quum genus panegyricum (*ἐπιδεικτικὸν*), e speciminibus illis eloquentiae publice ab oratoribus exhibitis natum, imprimis ad auditorum oblectationem spectet, etiam Lysiam majoris quam in judicialibus orationibus in panegyricis appetentem fuisse ornatus, docet Dion. 28. *βούλεται μὲν γὰρ* **(sc.** *ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς λόγοις*) *ὑψηλότερος εἶναι καὶ μεγαλοπρεπέστερος.* **— At in quo elaborare consuevit dicendi genere, quod ad vulgarem Atheniensium sermonem pro-**

---

1) Aristot. Rhet. 3, 12. *δεῖ δὲ μὴ λεληθέναι ὅτι ἄλλη ἑκάστῳ γένει ἁρμόττει λέξις.* — Cfr. Isocrat. Panegyr. c. 2. p. 43. R. *τοσοῦτον διημαρτήκασιν* (sc. *τινὲς*) *ὥστε τοὺς πρὸς ὑπερβολὴν πεποιημένους* (sc. *λόγους*) *πρὸς τοὺς ἀγῶνας τοὺς περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων σκοποῦσιν, ὥσπερ ὁμοίως δέον ἀμφοτέρους ἔχειν, ἀλλ' οὐ τοὺς μὲν ἀσφαλῶς τοὺς δὲ ἐπιδεικτικῶς.*

xime accessit, id ornatum, quo opus erat, non praebuit. Quid igitur miramur, si ea artificia, quibus priore aetate polluerat, a Gorgiano fastu non aliena illa, in panegyrici generis usum revocavit. Quod re vera factum esse colligimus ex Dion. c. 3. *Θουκυδίδης — ἔν τε τῷ ἐπιταφίῳ καὶ ἐν ταῖς δημηγορίαις, ποιητικῇ κατασκευῇ χρησάμενος, ἐν πολλοῖς ἐξήλλαξε τὴν ἑρμήνειαν εἰς ὄγκον ἅμα καὶ κόσμον ὀνομάτων ἀηθέστερον, Λυσίας δὲ τοιοῦτον οὐδὲν ἤσκησεν (ἐν γοῦν τοῖς σπουδῇ γραφομένοις δικανικοῖς καὶ συμβουλευτικοῖς λόγοις) ποιῆσαι, πλὴν εἴ τι μικρὸν ἐν τοῖς πανηγυρικοῖς*, quibuscum optime coit fragmentum Dionysii ex libro *περὶ μιμήσεως* a Schol. Hermog. p. 378. ed. Ald. servatum: *φησὶ* (sc. *Διονύσιος*) *ὅτι Γόργιας μὲν τὴν ποιητικὴν ἑρμηνείαν μετήνεγκεν ἐς λόγους πολιτικούς —. Λυσίας δὲ τοὐναντίον ἐποίησε· τὴν γὰρ φανερὰν ἅπασι καὶ τετριμμένην λέξιν ἐζήλωσεν ἔγγιστα, ἔγγιστα νομίζων εἶναι τοῦ πεῖσαι τὰν ἰδιοτῶν τὸ κοινὸν τῆς ὀνομασίας καὶ ἀφελές*, ubi aperte de solo *judiciali* genere haec virtus praedicatur. — Apparet igitur Lysiam in panegyricis orationibus *μεγαλοπρεπεῖαν* captasse, idque Gorgianis quibusdam dicendi calamistris, sed quum ejus indoles ex testimonio Dionysii [2]) ab orationis splendore plane abhorruerit [3]) ejusque suavitas humili maxime di-

---

2) c. 13. *ταῦτα* (postquam omnium Lysiae virtutum summam comprehendit) *παρὰ Λυσίου λαμβάνων ἄν τις ὠφεληθείη· ὑψηλὴ δὲ καὶ μεγαλοπρεπὴς οὐκ ἔστιν ἡ Λυσίου λέξις, οὐδὲ καταπληκτικὴ μὰ Δία καὶ θαυμαστή, — καὶ οὐκ ἐπὶ τοσοῦτον ἰσχὺν ἱκανὴ δηλῶσαι τέχνης, ἐφ' ὅσον ἀλήθειαν εἰκάσαι φύσεως.* Cfr. jud. de Isaeo c. 18.

3) Vellem adjecisset Hoelscherus, quo loco nixus, plane contrariam Dionysio obtruserit sententiam, quum p. 51.

cendi genere effecta sit [4]), necesse erat, ut minoris praestantiae essent panegyricae ejus orationes quam judiciales, cujus luculentissimum affero Dionysii testimonium c. 16. *ἐν ἅπασι μὲν τούτοις ὁ ἀνὴρ λόγου ἄξιος, μάλιστα δὲ ἐν τοῖς δικανικοῖς ἀγῶσι —. ὁ βουλόμενος δὲ τὴν Λυσίου δύναμιν ἀκριβῶς καταμαθεῖν, ἐκ τῶν δικανικῶν αὐτὴν μᾶλλον λόγων ἢ ἐκ τῶν πανηγυρικῶν σκοπείτω.* Quod idem vel ex eo, quod praeter unum epitaphium fragmentumque Olympiaci nulla hujus generis oratio nobis servata est, neque ulla de centum et triginta quinque orationibus, quarum fragmenta novimus, panegyrica est, efficitur eandemque omnium veterum rhetorum fuisse sententiam, jure mihi videor inde colligere. Neque amplius de panegyricarum orationum indole vel dubitare licet, modo adjicias gravissimum Dionysii locum c. 28: *ἐν μὲν δὴ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς λόγοις μαλακώτερος. βούλεται μὲν γὰρ ὑψηλότερος εἶναι, καὶ μεγαλοπρεπέστερος —. οὐ διαγείρει δὲ τὸν ἀκροάτην, ὥςπερ Ἰσοκράτης ἢ Δημοσθένης* [1]), ubi id verbis expressum videmus, quod sentimus in legendo et erotico et epitaphio, qui cujusvis generis artificia, affectatum interdum colorem poeticum, verba saepe nimis cumulata ostendunt,

---

dicit: »*Lysiam orationem — scripsisse credamus, Lysiam qui ex Dionysii Halic. judicio in genere ἐπιδεικτικῷ erat μεγαλοπρεπής?*« Non multum absum, quin verear, ne jud. de Lys. c. 28. in hanc sententiam abusus sit.

4) Dion. l. l. c. 13. *ἡ τῆς συνθέσεως τῶν ὀνομάτων ἡδονή, μιμουμένη τὸν ἰδιώτην* et c. 16. *καὶ ἐν αὐτοῖς δὲ τούτοις ἀμείνων ἐστὶ τὰ μικρὰ καὶ παράδοξα καὶ ἄπορα εἰπεῖν καλῶς, ἢ τὰ μεγαλὰ καὶ εὔπορα δυνατῶς.*

quae quidem omnia a VV. DD., ut hanc orationem e Lysianis eximerent, allata sunt.

Sed jam reliquum est, ut probem, optime epitaphii indolem cum iis, quae de priore Lysiae aetate exposui, congruere. Verum enim vero ne cogitari quidem potest, oratorem, qualem Lysiam admiramur, eodem semper panegyricae artis gradu perstitisse neque quidquam, quem in judiciali genere fecerit, progressus in eam redundasse. Quod et ipsum singulis locis mihi demonstrandum est.

Exordiamur ab ipsis vocabulis, quibus in efferendis sententiis Lysias usus sit. Nam quum priore jam aetate orator tantopere in hac re excelluerit, ut ipsius Platonis laudem tulerit, et Dionysius accuratum verborum usum inter primarias Lysiae virtutes referat, non statuendum est panegyricas orationes hoc nomine prae ceteris jacuisse; sed aliud est, vocabula eligere ad res significandas parum apta, aliud ipsis vocabulis poeticum quendam colorem aucupari; quamobrem patere videtur, parum recte Hoelscherum statuisse, quum vocabula quaedam a judicialibus Lysiae orationibus aliena inter argumenta retulit, quibus subdititia evinceretur haec oratio. Nam poeticum colorem Lysiam in panegyricis orationibus captasse, ita quidem, ut affectati aliquid inde natum sit, luculentis veterum testimoniis probavimus. Huc refero verbi causa §. 35. ναυμαχεῖν ὑπὲρ τῆς φιλότητος, quod Hoelscherum (p. 51.) valde offendit. §. 10. λαβόντες τὰ ἆθλα, τοὺς Ἀργείων νέκρους. Cfr. §. 35. ὑπὲρ τῶν ἄθλων, τῶν ἐν Σαλαμῖνι. §. 64. οἱ κατελθόντες ἀδελφὰ τὰ βουλεύματα τοῖς ἔργοις ἐπιδεικνύντες. (Cfr. Plat. Phaedr. p. 238, d. ἀδελφὰ ὀνόματα. p. 276, d. ὅσα τούτων ἀδελφά). Fortasse etiam ἐκείνους τοῖς αὐτῶν κινδύνοις ἐστεφάνωσαν. V. nostram de h. l. disput. c. III. — Gravius argumentum est, quod

ex vocabulis perverse et praeter Atticorum scriptorum consuetudinem usurpatis Hoelscherus petiit; sed quum haud sciam an non recte hi loci se habeant, de his et ipsis ad cap. III. lectores remitto; neque quidquam adjicio, nisi quod multifariam vocis ψυχὴ significationem, in quà maxime offendit Hoelscheri disputatio, in hac oratione non cognovi, quandoquidem, quibuscunque locis nomen ψυχὴ invenitur, Romanorum aut animo aut animae respondet, quod utrumque graeco vocabulo comprehenditur.

His praemissis rationem periodorum membrorumque et oppositionis et aequalitatis studio conspicuam, perstringamus.

Quam unam fere periodorum in erotico formam cognovimus, ut duae particulis μὲν — δὲ sibi opponerentur partes, quarum suo utroque subjecto utitur, ea ne in epitaphio quidem desideratur §. 1. εἰ μὲν ἡγούμην —, ἐπειδὴ δὲ —. §. 32. οἱ μὲν ἐπορεύοντο —, οἱ δὲ ἡμέτεροι πρόγονοι —. §. 31. Ἀθηναῖοι μὲν — Λακεδαιμόνιοι δὲ —. Sed cogitantes quam diversa fuerit aetas epitaphii (Ol. XCVI, 4. V. Cap. III.), ubi divinum Thucydidis opus jam erat cognitum et praestantissimae Isocratis orationes paulo post in lucem proditurae erant, intelligemus facillime fieri potuisse, ut ad Thucydidis praecipue exemplar suos verborum complexus conformaret; id, quod magis ex universa periodorum indole, quam e singulis locis intelligitur. Similiter ipsum sensisse Dionysium, patere videtur ex c. 3. Θουκυδίδης — ἐξήλλαξε τὴν ἑρμηνείαν εἰς ὄγκον κ. τ. λ., Λυσίας δὲ τοιοῦτον οὐδὲν ἤσκησεν ποιῆσαι πλὴν εἴ τι μικρὸν ἐν τοῖς πανηγυρικοῖς. Quod si ne Thucydidis quidem periodi omnibus numeris absolutae sunt, multo minus hoc exspectari potest a Lysia, quippe cujus summa ars in oratione periodis non adstricta

posita sit. V. supra §. 4. Quum nihilominus, ad efficiendum orationis splendorem periodis quam perfectissimis opus esse, probe tenuerit Lysias, factum est ut praecipue e structura periodorum μεγαλοπρεπείας studium, ne dicam labor, isque pugnans cum Lysiae indole, appareret. — Atque forma quidem, quae erotici primaria erat, in epitaphio minus frequentata est; id, quod supra jam significavi. Nihilominus tamen aliae quaedam formae ex ipsa illa duxere originem. Nam ut etiam alius naturae sententiae multifarie apud Lysiam divisae sunt, cujus quidem causam ex accurate dicendi studio, antiquorum oratorum proprio, repetendam esse puto [5], ita etiam oppositionis altera pars (δὲ) et ipsa per opposita effertur [6]), ut exoriatur forma A — $\frac{B}{a\ b}$. V. §. 19. θηρίων μὲν —, ἀνθρώποις δὲ cui subjungitur νόμῳ μὲν — λόγῳ δὲ — νόμῳ δὲ — [7]). §. 11.

---

5) Hoc idem studium apparet §. 19. ἵνα μὴ πρότερον (num forte legendum est ἀπορώτεροι? Nam quo referatur πρότερον frustra quaerimus) εἰς τὴν αὐτῶν ἀπελθῶσι πατρίου τιμῆς ἀτυχήσαντες, καὶ Ἑλληνικοῦ νόμου στερηθέντες καὶ κοινῆς ἐλπίδος ἡμαρτηκότες; ubi καὶ — καὶ participio ἀτυχήσαντες haudquaquam in eâdem lineâ posita (qua sententia deceptus Hoelscherus h. l. pleonasmum vidit nullo modo ferendum), sed explicandi causa subjuncta sunt. Cfr. ὑπὲρ ἀμφοτέρων, ὑπὲρ μὲν τῶν — ὑπὲρ δὲ τῶν ἑτέρων.

6) Cfr. Dissen. de per. orat. struct. p. XLI.

7) Valde miror Hoelscherum in hoc loco offendisse, quem inter maxime Lysianos refero. Quod unum offendere potest, sunt verba ὑπὸ νόμου μὲν —, ὑπὸ λόγου δὲ —; sed ex ἀκριβείας illo studio subjunguntur, ut indicetur, qui velit ἔργῳ τούτοις (sc. τῷ νόμῳ ὁρίσασθαι et τῷ λόγῳ πεῖσαι) ὑπηρετεῖν, ipse jam legi obediat eloquentiâque persuasum sit, necesse esse.

A — a — b: Ἡρακλῆς μὲν — οἱ δὲ παῖδες — ἔφευγον μὲν —, ἐξηλαύνοντο δὲ —. §. 10. καὶ οὐχ — ἐπεθύμησαν, ἀλλὰ ἐκείνοις μὲν ἐπεδείξαντο, αὐτοὶ δὲ ἀφίκοντο [8]). Fortasse etiam §. 4. huc referendum est: Ἀμάζονες γὰρ Ἄρεος μὲν ἦσαν θυγατέρες, οἰκοῦσαι δὲ — μόναι μὲν — ὡπλισμέναι — πρῶται δὲ — ἀναβᾶσαι, ut bellicosa vita; notioni **mulierum**, quae latet in θυγατέρες, opposita, per duo ejus momenta expressa sit [9]). Quo admisso, ante ἐνομίζοντο δὲ plene interpungendum esse, patet.— Altera forma, quae ex primariâ illâ erotici unitatis periodorum efficiendae studio nascitur, ea est, ubi eodem manente subjecto diversae quae ejus praedicantur, item particulis μὲν — δὲ sibi opponuntur. §. 59: ἐνίκησαν μὲν οἱ πρότεροι — οὐκ ἐμβαίνοντες — ἔπλευσαν δὲ —, δουλεύουσι δὲ —[10]).

---

8) Neque judiciales Lysiae orationes hac forma carent. Cfr. de oleâ ἐμοὶ μὲν — αὐτὸς δὲ, εἰ μὲν — εἰ δὲ —, in Eratosth. §. 35. ἢ — ἐξαμάρτωσιν ἢ πράξαντες μὲν — ἔσονται, δυστυχήσαντες δὲ — ἕξουσιν. ibid. §. 15. ἐὰν μὲν λαθῶ, σωθήσομαι, ἐὰν δὲ ληφθῶ ἡγούμην μὲν, εἰ —, (ubi exspectamus ἡγούμην, εἰ μὲν) εἰ δὲ μὴ —. Antiphontem jam hac forma usum esse, intelligimus ex: de caed. Herod. §. 35. ζῶν μὲν — τεθνεὼς δὲ, τὸν μὲν ἔλεγχον —, τοῖς δὲ λόγοις —. §. 1. ἐβουλόμην μὲν —, νῦν δὲ τοῦ μὲν — τοῦ δὲ —.

9) Si quis veretur, ne parum elegans ex θυγατέρες ἦσαν ad ὡπλισμέναι et ἀναβᾶσαι verbum substantivum subintelligatur, ea valere videtur ratio, ut οἷς ἀνελπίστως parenthesis sit, et ἐνομίζοντο verbum finitum, ad quod participia illa referenda sunt; saepius δὲ post parenthesin inferri, satis notum est. Cfr. Goeller ad Thucyd. 3, 107.

10) Hic locus Hoelscherum ob insequens τύραννοι δὲ ἐγκαθεστᾶσιν male habet; sed difficultas solvitur, modo post τῶν Ἑλλήνων gravius interpungamus. Nam valde fálle-

Ξέρξης καταφρονήσας μὲν —, ἐψευσμένος δὲ —, ἀχθόμενος δὲ —, ἀπαθὴς δὲ — [11]). Quam quidem formam paribus membris valde favere, ex locis allatis apparet. —

Sed quum formae, quas modo perstrinxi, copiam membrorum paratactice potius cumulatam, quam interiore quodam vinculo necessarie conjunctam efficerent, his nullo modo satisfieri potuit Lysiae. Cujus prima igitur vestigia jam in erotico videmus, quod magis excultum judiciales ostendunt orationes, ut primariae sententiae quae explicationi inserviunt, membra subjungantur, in eo diligentissime elaboravit in epitaphio; ratio illa, cui Thucydides summam navaverat operam: quo factum est, ut ab hac maxime parte, quantopere Lysias in epitaphio Thucydidem secutus sit, agnoscas. — Incipiamus a simplicissima forma, ubi verbo finito secundariae sententiae praemittuntur. Sententiarum autem, quibus aliae explicantur, tria fingi possunt genera; nam aut causam ejus, quod inest in sententia primaria, afferunt, aut modum, quo quid effectum sit, indicant, aut conditionem, vel loci vel temporis, declarant. Causam animadvertas praemissam §. 5: *τυχοῦσαι δὲ ἀγαθῶν ἀνδρῶν — ἐκτήσαντο —*; modus explicatur §. 15: *παραταξάμενοι δ᾽ ἰ-*

---

retur, qui *τύραννοι δὲ* oppositum haberet illi *ἐνίκησαν μέν*.

11) Cur Hoelscherus in hoc quoque loco offenderit, causam non video, quum ne judiciales quidem orationes hac forma careant. De olea §. 28: *ἐν ᾧ δένδρον μὲν —, μιᾶς δὲ —, κυκλόθεν δὲ — ἄκρυτον δέ.* Cfr. §. 41. in Theomn. I. §. 22. *ἑωρακὼς μὲν —, αὐτὸς δὲ —, ἀκηκοὼς δὲ — μεγίστης δὲ — τούτῳ δὲ.* in Alcib. I. 30. in Eratosth. §. 43. 59.

δίᾳ δυνάμει τὴν ἐξ ἁπάσης Πελοποννήσου ἐλθοῦσαν, ἐνίκων κ. τ. λ.; *circumstantiae* describuntur §. 58: *ἀπολομένων γὰρ τῶν νεῶν ἐν Ἑλλησπόντῳ —, καὶ συμφορᾶς ἐκείνης μεγίστης γενομένης —, ἐδήλωσαν.* Sed vel hae formae, utpote judicialibus jam orationibus aptae, simpliciores erant, quam pro magnifica panegyrici dicendi generis indole. Conjunxit igitur, ut magis artificiosas redderet periodos, duo sententiarum explicantium genera, ut §. 52: *Μυρωνίδου στρατηγοῦντος, ἀπαντήσαντες αὐτοὶ —, ἐνίκων κ. τ. λ.* [12]), ubi et tempus et modum descriptum vides, aut omnia, quae sunt, tria, ut §. 5: *ἀρχοῦσαι δὲ πολλῶν ἐθνῶν καὶ ἔργῳ μὲν τοὺς περὶ αὐτὰς καταδεδουλωμέναι* (circumstantiae), *λόγῳ δὲ περὶ τῆς δὲ τῆς χώρας ἀκούουσαι* — (ratio, cur Atticam potissimum invaserint) *καὶ παραλαβοῦσαι τὰ μαχιμώτατα τῶν ἐθνῶν* (modus) *ἐστράτευσαν.* Aliam eodem consilio rationem iniit, ut sententiam explicandi causa praemissam, et ipsam ejusmodi membro explicaret; unde duae natae sunt periodorum formae, altera quidem, ubi secundaria, ut ita dicam, explicativa sententia praemittitur, ita, ut prorsus ascendat periodus, ut §. 10, ubi *ταῦτα διανοηθέντες — καὶ νομίζοντες* rationem affert ejus, quod est *τὸ δὲ δίκαιον ἔχοντες σύμμαχον*, quod et ipsum eodem consilio verbo finito *ἐνίκων* praemissum est; altera, ubi secundaria primariam sequitur explicativam sententiam, ut in universum ascendat periodus, protasis autem per se spectata descendat. V. §. 67. *οἱ δὲ νῦν θαπτόμενοι, βοηθήσαντες Κορινθίοις, ὑπὸ παλαιῶν φίλων ἀδικουμένοις καινοὶ*

---

12) Ante *Μυρωνίδου κ. τ. λ.*, perperam cum antecedentibus conjunctum, plene interpungendum videtur. V. quae infra disputabo.

σύμμαχοι γενόμενοι (quod rationem reddit ejus, quod est *βοηθήσαντες*) *οὐ τὴν αὐτὴν γνώμην Λακεδαιμονίοις ἔχοντες* (rursus participii *γενόμενοι* causam continens), *ἐπεδείξαντο κ. τ. λ.* — Ad magis etiam artificiosam dicendi rationem eam periodorum formam composuit, qua quam simplicissima jam usus est in orationibus judicialibus. V. p. 38. Exemplum affero §. 7—9, ubi laborem, quem in struendis periodis consumserit Lysias, facillime cognoscimus. Praemissâ sententiâ, quae rerum statum in universum explicet: *οὐκ ἐώντων Καδμείων θάπτειν τοὺς νέκρους,* sed et ipsa illa praemisso participio explicatâ: *Ἀδράστου δὲ καὶ Πολυνείκους στρατευσάντων καὶ ἡττηθέντων,* subjectum sequitur *Ἀθηναῖοι,* quod verbi finiti exspectationem excitat. Sed priusquam ipsum infertur verbum, causam indicat, cur Athenienses Argivis opitulari statuerint: *ἡγησάμενοι — ἀσεβεῖσθαι.* — Sed nondum liquet, cur bello potissimum, ut sepelirentur Argivi, Athenienses effecerint; quod explicatum videmus participiis *τὸ μὲν πρῶτον πέμψαντες —, οὐ δυνάμενοι δὲ —,* quae, quum periculum efficiendae pactionis factum esse, id vero ad irritum cecidisse indicent, particulis *μὲν — δὲ* conjuncta sunt. Jam demum sequitur verbum finitum *ἐστράτευσαν,* cui, priusquam periodus finiatur, aliae, quibus falsae hominum opiniones refutentur, subjiciuntur sententiae: *οὐδεμιᾶς διαφορᾶς — ὑπαρχούσης οὐδὲ — χαριζόμενοι,* quibus, quum negativae sint, orator, utpote periodorum inter se oppositarum studiosissimus, veras belli causas, licet jam insint in antecedentibus, etiam expressis verbis adjicit, et, aequalitatis causa verbum finitum, sed accuratius illud definitum, repetit: *ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἐκινδύνευσαν;* qua occasione oblata jam accuratissime consilium Atheniensium definit *ὑπὲρ μὲν τῶν — ὑπὲρ δὲ τῶν ἑτέρων —.* Respicien

tes jam universam hujus periodi structuram, et animos auditorum intendendi et aequilibrii efficiendi studio aeque videbimus satisfactum esse. Nam periodus ab inservientibus sententiis exorsa, eodem modo finitur; unde etiam causam repeto, cur consilii Atheniensium, et ipsius ex primariis (ἐξυβρίσωσι — ἀπέλθωσι) et explicantibus sententiis (ἐξαμαρτήσαντες — ἀτυχήσαντες) compositi, altera pars explicantem sententiam praemittat, altera habeat subsequentem[13]). Ceterum, quas duas hujus periodi magnitudine sibi respondentes vidimus partes, eas non necessitatis vinculo colligatas esse ideoque hanc periodum non omnibus numeris esse absolutam, neminem latebit.

Jam, ad melius cognoscendam Lysiae indolem, non abs re erit, ad artem respicere, qua arctiorem periodi unitatem effecerit; eam dico, quod praemisso subjecto verbi finiti excitet exspectationem, sed priusquam hoc ipsum inseratur, explicantes sententias intromittat. Prima hujus artis vestigia jam cognoscimus in erotico (p. 232, a: τοὺς δὲ μὴ ἐρῶντας κρείττους αὐτῶν ὄντας — αἱρεῖσθαι); quibus, quum, ne judiciales quidem orationes ejusmodi exemplis carere viderimus, altera aetate maxime institisse Lysiam, quam modo exhibui, periodus luculenter ostendit. Sed quum longum sit omnes, qui praeterea inveniantur, ejusmodi locos adscribere, satius videtur instar omnium provocasse ad §. 32: οἱ δ' ἡμέτεροι πρόγονοι, cujus verbum ἀπέλιπον sub finem demum §. 33. sequitur, unde appareat, ita huic stu-

---

13) Jam rhetoricam quoque afferre licet rationem, cur in ἀτυχήσαντες non acquieverit orator, sed divisione hanc notionem amplificaverit: ut hoc membrum augeatur et hujus magnae periodi finem praebeat idoneum.

dio indulsisse Lysiam, ut ab hac quoque parte imparibus viribus coercitus, ab eo, quod verae artis est, aberraverit, verissimumque Dionysii esse judicium *βούλεται μὲν — οὐ διαγείρειν δὲ* —. Ceterum omnes, de quibus dixi, periodorum formas variari eoque fieri magis artificiosas, quo vehementius antithesium divisionumque studio, aut in exprimendis explicativis sententiis, aut in efferendo verbo primario abreptus sit Lysias (cfr. §. 12. *οὐκ ἠθέλησαν — ἀλλὰ μᾶλλον ἥδοῦντο ἢ ἐφοβοῦντο καὶ ἠξίουν — διαμάχεσθαι μᾶλλον ἢ ἐκδοῦναι*) — artificia, quae erotici quoque ostendi propria — non est, quod uberius exponam, quum quaevis pagina luculenta exempla praebeat.

Quodsi, licet summam in componendis periodis artem nondum assecutus sit Lysias, tamen negari non potest, hac in re eum satis multum profecisse, rationi tamen, qua in membris adornandis versatus est, eandem laudem tribuendam esse, valde dubito, quin ab hac parte proxime adhuc a nimio oppositionis et aequilibrii studio abesse videtur. — Quum, id, quod supra jam monui, utrumque studium arctissime inter se cohaereat, ita ut alterum alteri efficiendo inserviat, nunc etiam ita agam, ut ea conjungam.

Ut in formandis periodis, ita in membris earum sibi opponendis frequentissimus particularum *μὲν — δὲ* usus est. Cujus quum primo obtutu magna exemplorum vis se offerat, satius videtur hoc unum respexisse, ubi eidem sententiae eandem, aliis illam quidem verbis expressam, opponendo inserviunt. Atque mollem illam orationis figuram, quae apud Aristotelem (Rhet. 3, 9. fin.) *ψευδὴς ἀντίθεσις* audit, prioris Lysiae aetatis jam propriam fuisse, ex fragmento orationis pro Nicia et apertâ, qua

Theophrastus illud hôc nomine castigat, vituperatione cognovimus; in judiciali quidem genere ab ejus usu plane abstinuisse Lysiam, maxime consentaneum est; quod vero in panegyricis orationibus altera quoque aetate invenitur, bene convenit cum μεγαλοπρεπείας oratoris studio mollitieque, quam inde effectam esse, jam docuit Dionysius. Neque in epitaphio ejusmodi exempla desiderantur. §. 25. καὶ τῶν μὲν σωμάτων ἀφειδήσαντες, ὑπὲρ δὲ τῆς ἀρετῆς οὐ φιλοψυχήσαντες et §. 48: μέγα μὲν ἅπαντες φρονοῦντες, μικρῶν δ' ἐγκλημάτων ἕκαστοι δεόμενοι, ubi quum ipsa vocabula, licet sententia utriusque membri sit eadem, contrarii aliquid contineant (σωμάτων et ἀφειδήσαντες — ἀρετῆς et οὐ φιλοψυχήσαντες; altero loco: μέγα — μικρῶν), membra sibi opposuit. Non est igitur, quod Hoelschero, his quoque locis contra Lysianam epitaphii originem uso (p. 50 et 51.) adstipulemur; eoque minus, quod ne in deliberativo quidem genere hanc figuram repudiavit Lysias. V. fragmentum orationis de republica Atheniensium §. 9: περιορῶντες μὲν τὴν χώραν τεμνομένην, οὐ νομίζοντες δὲ χρῆναι διαμάχεσθαι (περιορῶντες — οὐ νομίζοντες).

Quae praeterea oppositionis formae sunt, ἢ — ἢ, vel πρότερον — ἢ et οὐκ — ἀλλὰ, earum alteram, quum nihil peculiare habeat, missam facio, de οὐκ — ἀλλὰ tantum pauca verba facturus. — Antiquiorum oratorum quum ferret mos, ex studio et accurate dicendi et opponendi natus, ut, perquam securi de tautologia, si qua inde nasceretur, in re gravi, refutata demum, quae forte haberi posset, diversa sententia, ipsum factum proferrent, membra particulis οὐκ — ἀλλὰ — nexa satis frequentata sunt. A quo quidem more ne Lysiam quidem abhorruisse, ex erotico, hoc antithesium genere in-

signi, videmus (cfr. p. 231, a. οὐ γὰρ ὑπ' ἀναγκῆς, ἀλλ' ἑκοντες), quocirca, et quum ne judiciale quidem genus ejusmodi exemplis careat (cfr. de inval. §. 4. τῷ σώματι δύνασθαι καὶ οὐκ εἶναι τῶν ἀδυνατῶν), non miramur etiam epitaphium his antithetis refertum esse, quae, quum afferendis rationibus plerumque inserviant, semper fere participio elata sunt. Quamvis enim in absoluta dicendi arte ibi demum haec loquendi ratio locum habeat, ubi **alterum membrum** prioris non merum contrarium continet, sed novi aliquid addit, — id quod saepe in ipso quoque epitaphio animadvertimus, verbi causa §. 23: *οὐκ* ἐφοβήθησαν τῷ πλήθει τῶν ἐναντίων, *ἀλλὰ* τῇ αὐτῶν ἀρετῇ μᾶλλον ἐπίστευσαν et **ibid.** *οὐ* λογισμῷ δόντες[14]) τοὺς ἐν τῷ πολέμῳ κινδύνους *ἀλλὰ* νομίζοντες τὸν εὐκλεᾶ θάνατον ἀθάνατον — καταλείπειν λόγον — non desunt tamen loci, in quibus pleonasmus quidam insit, ut §. 13: *οὐκ* ἔγγυς τῶν δεινῶν γενόμενοι μετέγνωσαν, *ἀλλὰ* τὴν αὐτὴν εἶχον γνώμην ἥνπερ πρότερον, quem tamen, quum sic multo fortius efferatur sententia, atque exspectari potuerit, appropinquante periculo Athenienses a consilio suo esse deterritos, facile ferimus[15]). — Cfr. Theophr. apud Dion. jud. de Lys. c. 14: ἀντίθεσίς ἐστι τριττῶς, ὅταν τῷ αὐτῷ τὰ ἐναντία ἢ τῷ ἐναντίῳ τὰ αὐτὰ — παρακατηγορηθείη.

His igitur formis, quibus *τε — καί*, *καί — καί* adjicias, summam per totam orationem mem-

---

14) Bek. ex Codd. δόντες, alii Codd. εἰδότες. Quocum si comparo lectionem Codd. Leyd. et Vimar. ἰδόντες et, quod oppositum est: νομίζοντες (Praes.), ex conjectura scripserim διδόντες.

15) Diversam sententiam Hoelscherus sequitur, qui hoc loco et ipso contra Lysiam utitur.

brorum aequalitatem effici, vel primus obtutus docet. Cfr. praeter multa, haec membra et ambitu et vocabulorum terminationibus sibi respondentia §. 65: *οὐ κακίᾳ τῇ αὐτῶν οὐδ᾽ ἀρετῇ τῶν πολεμίων.* §. 67: *οἱ μὲν γὰρ τῶν ἀγαθῶν αὐτοῖς ἐφθόνουν, οἱ δὲ ἀδικουμένους αὐτοὺς ἠλέουν, οὐ τῆς προτέρας ἔχθρας μεμνημένοι, ἀλλὰ τὴν παροῦσαν φιλίαν περὶ πολλοῦ ποιούμενοι.* §. 69: *τήν τ᾽ ἐκείνων δόξαν διασώσαντες καὶ τὴν αὐτῶν ἀρετὴν ἐπιδείξαντες* etc. etc. Quam quidem membrorum adornandorum rationem, ut plane panegyrico Lysiae dicendi generi vindicem, ex Olympiaci fragmento paucos ejusmodi locos expromam: §. 2. *τὰ μὲν ὀψόμενοι, τὰ δὲ ἀκουσόμενοι.* §. 3. *ἐγὼ δὲ ἥκω οὐ μικρολογησόμενος οὐδὲ περὶ ὀνομάτων μαχούμενος.* §. 6. *ὥςτε ἄξιον τὸν μὲν καταθέσθαι, τῇ δὲ — ἀντέχεσθαι καὶ περὶ μὲν αἰσχύνεσθαι περὶ δὲ — δεδιέναι καὶ — μιμεῖσθαι.* — Generis deliberativi haec adjiciam exempla. §. 3. *ὅτε ἐκεκτησάμεθα, οὐχ οὕτως — διανοούμεθα, ἀλλὰ — ἐποιούμεθα.* §. 4. *οὐκ ἂν — πειθώμεθα, οὐδὲ — περιαιρησόμεθα.* ibid. *ὧν — δημοκρατήσεσθε — τῶν δὲ — ἐπικρατήσετε, ὠφελιμώτεροι δὲ — ἔσεσθε.* §. 5. *πολλοὺς μὲν — ἀποθανόντας, πολλοὺς δὲ ἐκπεσόντας.* ibid. *τῷ μὲν — πολεμοῦσι, τῷ δὲ — ἐπιθυμοῦσι.* Neque in ipso judiciali genere Lysiam ab ejusmodi membris abhorruisse, his evincatur locis: in Eratosth. §. 1. *μήτε — κατηγορῆσαι, μήτε — δύνασθαι, ἀλλ᾽ — ἀπειπεῖν ἢ ἐκλιπεῖν.* §. 39. *ἢ — προςεκτήσαντο, οἵαν κατεδουλώσαντο.* §. 40. — *καθεῖλον, — περιεῖλον.* in Agor. §. 59. *τοῦτον — βασανισθῆναι, καὶ — ψηφίσασθαι.* §. 85. — *ἰσχυρίζεσθαι, — ἐπιγέγραπται.* ibid. *διςχυρίζεσθαι, — σώζεσθαι.* §. 97. *ἐὰν — ψηφίζησθε, πρῶτον μὲν — γίγνεσθε, ἔπειτα — ἔσεσθε.* de inval. §. 3. *εἰ γὰρ — τὴν διάνοιαν ἔξω*

καὶ τὸν βίον διάξω, τι τούτου διοίσω etc. etc. — Sed probe tenendum est, quo provectiore aetate judiciales orationes a Lysia conscriptae sint, eo rarius[16]) hoc fuco dicendi genus ornatum esse. — Singulorum autem vocabulorum responsio quum aeque accurata sit, atque in erotico, videamus num eisdem hoc effectum sit artibus, quas deprehendimus in oratione illa amatoria. — Atque de sententiarum quidem oppositione, quamvis non contrariae sint, jam dixi; quare jam reliquum est, ut Lysiam ad aequalitatem efficiendam verba passim *cumulasse*, paucis exemplis demonstrem. §. 30. *Ἀθηναῖοι αὐτοὶ μὲν — ἐβοήθησαν; Λακεδαιμόνιοι — ἀπήντησαν*, ubi altero utro verbo facile careremus. §. 47. *καὶ μεθ' ὧν ἐκινδύνευον, καὶ πρὸς οὓς ἐπολέμουν.* §. 48. *μέγα μὲν ἅπαντες φρονήσαντες μικρῶν δ' ἐγκλημάτων ἕκαστοι δεόμενοι.* §. 63. *μεγάλην μὲν — ἀπέδειξαν τὴν πόλιν, ὁμονοοῦσαν δὲ — ἀπεφάνησαν.* Cfr. de republ. Athen. §. 11. *οἱ μὲν — διεκινδύνευον, ὑμεῖς δὲ — τολμᾶτε πολεμεῖν.* pro Mantith. §. 13. *ἐπειδὴ πάντας ἑώρων τοῖς μὲν ἱππεύουσιν ἀσφαλεῖαν εἶναι δεῖν νομίζοντας, τοῖς δὲ ὁπλίταις κίνδυνον ἡγουμένους.*

Praeterea erotici proprium vidimus, verborum collocationem ceteroquin naturae quam maxime consentaneam, modo aequalitatis studium hoc sibi requireret, mutatam esse; quod idem in epitaphium

---

16) Qua de causa non absona videtur Franzii sententia, statuentis, orationem de caede Eratosthenis, quum omnium praestantissimam, tum ab omni quaesito ornatu plane liberam, Ol. 95, 4. conscriptam esse, modo hoc intelligamus, ut inter posteriores Lysiae orationes referenda sit. Nam certum temporis indicium plane non inest. Cf. Hoelscher. p. 47.

cadere, luculentis exemplis demonstrari potest. §. 13. *οὐκ* a verbo remotum est, ut membrum efficiatur, alteri *ἀλλὰ κ. τ. λ.* aequum. — §. 51. *οἱ δὲ ἐμπειρίᾳ τὴν ἀρετὴν, οἱ δὲ φύσει κεκτήμενοι*, ubi *ἀρετὴν*, quamvis etiam ad *φύσει* pertineat, in prius membrum receptum, isocola efficit. — §. 53. *οἱ μὲν οὐκέτι τοῖς σώμασιν οἱ δ' οὔπω δυνάμενοι*, ubi *τοῖς σώμασιν*, quamvis utriusque membri sit et propter oppositionem sequentis *ταῖς δὲ ψυχαῖς* ante *οἱ μὲν* collocandum esset, ut membrum *οἱ μὲν* illi *οἱ δ' οὔπω* respondeat, in alieno loco collocata sunt. — Luculentissimum autem hujus rei exemplum praebet §. 9: *ὑπὲρ μὲν τῶν — ὑπὲρ δὲ τῶν ἑτέρων*, ubi *μὲν* particula, quum *δὲ* alterius membri secundum locum teneat, praeter Graecorum consuetudinem praepositionem inter et articulum collocata est. Quod quum negligerent VV. DD. Lysiae studium, factum est, ut hoc potissimum loco uterentur ad epitaphium a Lysia adjudicandum[17]). Sed quum Thucydides[18]) saepius, interdum etiam Xenophon, Plato, Isocrates eodem consilio hanc collocandi rationem admiserint (Bernh. Synt. p. 310: *mit rhetorischer Absichtlichkeit*), Lysias autem omnes aequalitatis studio antecedat, non est, quod huic argumento quidquam tribuatur.

Restat jam, ut de universa membrorum ratione quaedam adjiciam. Atque plena quidem membrorum

---

17) Bernhardy: Wissenschaftl. Syntax p. 310: »Spätre selten; Dichter nie; von Rednern nur Isocrates; daher sich für Lysias epitaph. (p. 63.) auch hieran d. Unächtheit dieser Schrift ergiebt.

18) Thuc. III, 82. *τῷ μὲν αἰσχύνονται, ἐπὶ δὲ τῷ ἀγάλλονται.* VI, 45. *ἔνθα μὲν φύλακας, πρὸς δὲ τοὺς πρέσβεις*, et quae praeterea Bernh. l. l. exempla affert.

responsio tum demum apparet, quum duo se excipiunt; paulo aliter autem res comparata est, si plura, et ipsa saepissime ex paribus membris composita, cumulantur. Nam quod in erotico jam observatum vidimus, longius membrum duorum vel plurium, quae antecedunt facere clausulam, id magis excultum est in epitaphio, ut tamquam legem sibi proposuisse videatur Lysias. Cfr. §. 27: *καταφρονήσας μὲν τῆς Ἑλλάδος | ἐψευσμένος δὲ τῆς ἐλπίδος, | ἀντιμαζόμενος δὲ τῷ γεγενημένῳ | κ. τ. λ. ἀπαθὴς δὲ ὢν κακῶν καὶ ἄπειρος ἀνδρῶν ἀγαθῶν.* §. 15. *τὰ μὲν σώματα εἰς ἄδειαν κατέστησαν, | ἀπαλλάξαντες δὲ τοῦ δέους καὶ τὰς ψυχὰς ἐλευθέρωσαν | διὰ δὲ τὴν τοῦ πατρὸς ἀρετὴν ἐκείνους τοῖς αὐτῶν κινδύνοις ἐστεφάνωσαν.* §. 14: *ἐλευθερίας μὲν σημεῖον εἶναι μηδὲν ποιεῖν ἄκοντας, | δικαιοσύνης δὲ τοῖς ἀδικουμένοις βοηθεῖν, | εὐψυχίας δὲ ὑπὲρ τούτων ἀμφοτέρων εἰ δέοι ἀποθνήσκειν.* — §. 19: *θηρίων μὲν — ἀνθρώποις δὲ —,* quorum alterum priore longius et ipsum in tria membra dividitur, quorum ultimum ceteris longius est. *νόμῳ μὲν —, λόγῳ δὲ —, ἔργῳ δὲ —* etc. etc. Cfr. Olymp. §. 6., ubi *τοὺς προγόνους μιμεῖσθαι,* adjecta enuntiatione relativa, membra, quae antecedunt, longitudine superat. §. 7. §. 8.

Reliquus est locus ad perspiciendam membrorum rationem gravissimus, parallelismum illum dico in isocolis potissimum vel particulâ aliqua conjunctis, vel *ἀσυνδετῶς* se excipientibus conspicuum, cujus quidem ea est natura, ut alteri membro alterius non solum forma, sed etiam ipsa sententia respondeat, et quae sequuntur antecedentia quasi continuent, eorumque effecta indicent. Quod, quum neglectum esset a VV. DD., aut ansam praebuit hoc illove nomine locis tentandis aut argumento inserviebat abjudicandi orationem a Lysia. V. §. 31.

οὐ ταῖς ψυχαῖς ἐνδεεῖς γενόμενοι, ἀλλὰ τοῦ πλήθους ψευσθέντες —, | οὐχ ἡττηθέντες ἀλλ' ἀποθανόντες, οὕπερ ἐτάχθησαν, ubi οὐχ ἡττηθέντες respondet ei, quod est οὐ ταῖς ψυχαῖς ἐνδεεῖς γενόμενοι et ἀλλ' ἀποθανόντες id significat, quod illo ἀλλὰ ψευσθέντες effectum est. — §. 14. τοὺς μὲν ἀδικουμένους ἐλεοῦντες, τοὺς δ' ὑβρίζοντας μισοῦντες | καὶ τοὺς μὲν κωλύειν ἐπιχειροῦντες τοῖς δ' ἐπικουρεῖν ἀξιοῦντες, ubi inverso quidem ordine (chiasmus) κωλύειν ἐπιχειροῦντες consilium indicat ex odio illo natum, ἐπικουρεῖν ἀξιοῦντες autem enarrat, ad quod suscipiendum commoti sint illâ misericordiâ. Nec multum a vero aberraturum puto, quicunque hoc ipso Lysiae more, quem eundem jam in erotico deprehendimus, usus fuerit ad locum quendam explicandum, qui valde exercuit interpretes. Legitur §. 48: ὑστέρῳ δὲ χρόνῳ Ἑλληνικοῦ πολέμου καταστάντος διὰ ζῆλον τῶν γεγενημένων καὶ φθόνον τῶν πεπραγμένων | μέγα μὲν ἅπαντες φρονοῦντες, μικρῶν δ' ἐγκλημάτων ἕκαστοι δεόμενοι | ναυμαχίας Ἀθηναίοις γενομένης ἑβδομήκοντα τριήρεις ἐλάμβανον. Quum ἐλάμβανον ad ἕκαστοι referendum videretur [19]), Reiskius et lacunam statuit post πεπραγμένων, verbo συνεῤῥάγησαν vel alio ejusdem significationis illam explendam, et post ναυμαχίας particulam δὲ inseri jussit. — Sed videamus an non omnia sint sanissima. Initio periodi tempus definitur: Ἑλληνικοῦ πολέμου καταστάντος, ejusque belli causam orator in sequentibus exponit: διὰ ζῆλον τῶν γεγενη-

19) V. Taylor ad h. l.; »ἐλάμβανον, inquis? Quinam? Anne ἅπαντες? Nam hoc praecedit. Anne ἕκαστοι? Nam hoc quoque. Num Lacedaemonii, num Athenienses, num Aeginetae? Novi quidem fuisse Athenienses; attamen eam gratiam debeo historicis, non loco desperatissimo. V. Thuc. I, 105.«

μένων καὶ φθόνον τῶν πεπραγμένων, quibus vero, quum ei, quod bellum excitaverit, explicando nondum sufficiant, id, quod proxime inde effectum sit, altero membro subjicit: μέγα μὲν ἅπαντες φρονοῦντες μικρῶν δ' ἐγκλημάτων δεόμενοι, quorum alterum illud ex ζήλῳ natum est, alterum φθόνῳ originem debuit. Tantum igitur abest, ut ἅπαντες aut ἕκαστοι sequentis ἐλάμβανον subjectum possit intelligi, ut ipsius, quae explicandi causa praemissa est, sententiae rationem afferat. At quaeritur; cur non usus sit orator genitivis absolutis? Sed num hoc vel licuit, quum nemo non, idque invita sententia, genitivos in eadem linea positos accepturus fuisset, quâ καταστάντος aut γενομένης? Quod igitur ut caveretur, in hoc quidem sententiarum nexu nominativis opus erat, quos dicunt, absolutis. Qui deinde sequitur genitivus, is cum eo, quod verbo finito indicatur, arctius conjungendus est, et tempus, ad quod primaria sententia pertinet, accuratius describit. Nihilominus tamen potest quidem dubitari, utrum Athenienses an Aeginetae naves ceperint; sed a nobis solum, nullo modo a Graecis, quippe qui hujus rei memoriam probe tenuerint in mente infixam. Cfr. Reisk. ad h. l. Quum praeterea ipsa verborum conjunctio Ἀθηναίοις πρὸς Athenienses victores intelligendos esse, satis dilucide ostendat, neque alias a structuris abhorreat Lysias, quae vel majoris audaciae crimini obnoxiae sunt, non est, quod vel hunc locum in iis recenseamus, in quibus quis nixus epitaphium eximere possit e Lysianis orationibus (Hoelscher p. 48.).

Quamvis haec, de qua jam egimus, parallelismi illius praevaleat ratio, ut, quod effectum indicat, subsequatur membrum, tamen ne inversum quidem Lysias repudiavit ordinem, quem eundem, pariter atque alterum illum valere vidimus in universis ver-

borum comprehensionibus. V. 29. ὁδὸν μὲν — ἐποιήσατο, πλοῦν δὲ διὰ τῆς γῆς ἠνάγκασε γενέσθαι, ζεύξας μὲν τὸν Ἑλλήσποντον, διορύξας δὲ τὸν Ἄθω; et §. 51. οἱ μὲν ἐμπειρίᾳ τὴν ἀρετὴν, οἱ δὲ φύσει κεκτημένοι | καὶ οἱ μὲν αὐτοὶ πολλαχοῦ ἀγαθοὶ γεγενημένοι, οἱ δ' ἐκείνους μιμούμενοι | τῶν μὲν πρεσβυτέρων ἄρχειν ἐπισταμένων, τῶν δὲ νεωτέρων τὸ ἐπιταττόμενον ποιεῖν δυναμένων[20]). Itaque ne hoc quidem loco, quum in ἐμπειρίᾳ et πολλαχοῦ nihil pleonasmi insit, sed alterum alterius causam contineat, Hoelscherus uti debebat sententiae suae praesidio.

Atque his artibus, quae et aequilibrii et antithesium studio inserviunt, magnam verbositatem effici, quivis concesserit; si autem in hac ipsa vocabulorum abundantia, nimiâque orationis copia quis nitatur, ut epitaphium evincat subdititium, eum jure suo agere, prorsus negandum videtur. — Nec vero hae rationes solae sunt, ad quas fusius dicendi generis, quo insignis est ut erotici ita epitaphii indoles, referamus causam; restat enim aliquid, quod et ipsum ex aequilibrii studio quodammodo natum, eodem nomine, inter argumenta, quae contra Lysiam auctorem facerent, relatum est. Atque loci

20) Intransitu monere liceat, genitivos absolutos, licet idem subjectum maneat, h. l. pro nominativo, eadem ratione poni, qua §. 48. nominativus pro genitivo, ut indicet orator τῶν μὲν κ. τ. λ. proxime solum antecedentium causam addere.

quidem, de quibus cogito, ii sunt, in quibus orator, ut pleniorem enuntiati formam efficeret, a pronominis usu abstinens, ipsum nomen repetiit; id, quod jam Antiphontis Cap. I. demonstravimus proprium. Huc refero Epit. §. 53. *οἱ μὲν οὐκέτι τοῖς σώμασιν, οὐ δ' οὔπω δυνάμενοι;* quae quidem verba, si a more illo antiquorum oratorum discesseris, eaque, quae proxime antecedunt, *τοῖς ἤδη ἀπειρηκόσι καὶ τοῖς οὔπω δυναμένοις* comparaveris, pleonasmum efficere videntur non facile ferendum. Sed longe aliter res comparata est, idque patebit, modo ad ipsius periodi formam respexeris. — Atque *Μυρωνίδου* quidem perperam mihi jungi videri cum antecedentibus, supra jam dixi ejusque ratio, in his maxime, de quibus quaeritur, verbis inest; quae, si in unam periodum cum illo comprehenderis, non assequor, quamnam explicationem habeant. De dativis quidem, qui dicuntur, absolutis, plane non cogitandum esse, a VV. DD. demonstratum est[21]. Sed ne interpretatio quidem, quam a Van der Heidio propositam adoptavit Schillerus, » *sunt igitur ipsi, Myronide duce, obviam eis progressi in agrum usque Megaricum et pugnando vicerunt universam eorum potentiam, his qui erant aetate vel defecti, vel nondum confirmati, eos inquam vicerunt* etc. « rem expedire videtur, nam quis unquam Graecus eos, qui subjecti partes agunt, in eodem verborum complexu etiam dativo extulerit, ut ita dicam, instrumentali? Atque haec quidem difficultas, si plene ante *Μυρωνίδου* interpunxeris, removeri videtur. Efficitur enim sic periodus ei, quae antecedit, simillima. Utraque in duas dividitur partes,

---

21) V. quae attulit Schiller ad Andocid. p. 82.

quae particula δὲ nexae verbis utuntur singulis. Nam ut in altera prioris periodi parte (§. 59. post κατέλαβον item plene interpungo) Athenienses in genere, quatenus rempublicam efficiunt, subjecti partes agunt (Ἀθηναῖοι δὲ), in alterâ autem οἱ γεραίτεροι καὶ οἱ τῆς ἡλικίας ἐντὸς γεγονότες, quamvis, si ipsas personas spectaveris, iidem sint, sic in alterius quoque periodi priore parte Athenienses in universum spectati subjectum efficiunt, ita ut bene dicatur, eos vicisse τοῖς ἤδη ἀπειρηκόσι κ. τ. λ. (Dat. instrumental.), in altera autem parte ipsi illi senes adolescentesque, tamquam cives reipublicae, subjecti munere funguntur. Quod, ut indicaretur sufficiebat quidem, pronomine ad τοῖς ἤδη ἀπειρηκόσι κ. τ. λ. retulisse, sed partim ut victoriae laus magis appareret, partim ut membrorum periodi (Μυρωνίδου —, τρόπαιον δὲ —) efficeretur aequilibrium, ipsam nominis primarii notionem eamque aliis verbis expressam et nova aliqua sententia dilatatam (ταῖς δὲ ψυχαῖς ἀμφότεροι κρείττους γενόμενοι) repetiit. Sed ne quis objiciat, inde, quod Antiphon hoc sibi indulserit, non effici etiam Lysiae hanc dicendi rationem vindicandam esse, locos afferam ex judiciali genere petitos, quorum alter ne ipse quidem Virorum Doctorum conjecturas effugit. in Agor. §. 66. γυναῖκας τῶν πολιτῶν μοιχεύειν καὶ διαφθείρειν ἐλευθέρας ἐπεχείρησε, ubi γυναῖκας τῶν πολιτῶν idem est, atque ἐλευθέρας. — in Erat. §. 32: χρῆν δέ σε, ὦ Ἐρατόσθενες —, πολὺ μᾶλλον τοῖς μέλλουσιν ἀδίκως ἀποθανεῖσθαι μηνυτὴν γενέσθαι ἢ τοὺς ἀδίκως ἀπολουμένους συλλαμβάνειν. Oppositio in solis verbis inest: μᾶλλον — μηνύτην γενέσθαι, ἢ — συλλαμβάνειν; pro αὐτοὺς autem in altero membro ipsam objecti notionem repetiit τοὺς ἀδίκως ἀπο-

λουμένους, iisdem, quas epitaphii loci perhibui, commotus rationibus[22]).

Quamvis jam uberius de illo loco me disputasse probe teneam, tamen non possum non adjicere, quem membrorum animadverterimus parallelismum, eum in integris his periodis maxime conspicuum esse, unde repeto etiam causam, cur ad *ἐνίκων* subjectum *Ἀθηναῖοι* non expresse adjiciatur, *Μυρωνίδου* autem *ἀσυνδέτως* antecedentibus subjectum sit. — Haec de elocutione, de inventione autem epitaphii ejusque dispositione Cap. III. explicabo.

22) Markland in priore membro *ἀδίκως* mutat in *δικαίως*; Reiskius autem in altero membro *τοῖς* — *ἀπολουμένοις* scripsit: »quam operam navare sceleratis insontes opprimentibus.«

IMPRESSIT FRIDERICUS ERNESTUS HUTH.